De notionibus psychologicis Paulinis

J. G. Krumm.

De notionibus psychologicis Paulinis.

Dissertatio

ad theologiam Novi Testamenti pertinens,

quam auctoritate

Ordinis Theologorum Evangelicorum

summe venerabilis

in academia Ludoviciana

pro venia docendi rite impetranda

conscripsit

J. Georgius Krumm

philosophiae doctor, ss. theologiae licentiatus.

Gissae, 1858.

Typis Guilielmi Keller.

VIRO ILLUSTRISSIMO ET DOCTISSIMO

FRANCISCO SCHWABE

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI, IN SEMINARIO HOMILETICO FRIEDBERGENSI PROFESSORI

PRAECEPTORI CARISSIMO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMAE REVERENTIAE AC PIETATIS MONUMENTUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Praefatio.

Non mihi est propositum, in hac disputatione doctrinam Paulinam de ratione animi adeo plenam atque integram exponere, ut inde descriptio quaedam illius disciplinae perfecta evadat, sed — id quod nomen disputationis ipsum indicat — notiones psychologicas distincte tantum adumbrare. Quanti autem momenti cognitio earum ad locos Paulinos dogmaticos — inprimis de peccato, de regeneratione, de immortalitate et resurrectione, de fidei et cognitionis natura indoleque — perspiciendos sit, partim ex disputatione ipsa, quamquam res hoc loco non satis copiose explicatur, intelligi potest.

Auctores librorum, qui vulgo inscribuntur „biblische Psychologien", in eo errant omnes, quod inter doctrinas singulorum scriptorum sacrorum vel prorsus non distinguunt, vel non satis accurate. Quamquam enim multae *notiones* apud omnes scriptores sine dubio quandam inter se similitudinem habent, tamen cujusque eorum disciplina praesertim Pauli,

qui inter notiones psychologicas solus subtiliter distinguit, tam propria est, ut, si commisceantur, dilucide perspici non possint. Delitzschium autem, quum psychologiam sacram etiam ratione theosophica et vere cabbalistica explicare conatus sit, vix ac ne vix quidem censuerim magnum litterarum sacrarum interpretationi fructum attulisse.

Epistolas, quae dicuntur, pastorales ad Paulinam doctrinam constituendam et explicandam non adhibui, quum, eas non a Paulo conscriptas esse, mihi persuasissimum sit.

Argumentum.

Introitus.

§. 1.

De trichotomia hominis.

Semper inter theologos controversia fuit, utrum scriptura sacra naturam hominis universam tribus an duabus partibus constare voluerit. Nobis quidem negantibus, omnes scriptores sacros semper idem sensisse, quaestio oritur, num Paulus trichotomiam statuerit necne. Invenimus autem Paulum I Thess. 5, 23 hominis partes enumerantem: *σῶμα*, *ψυχήν*, *πνεῦμα*, quippe qui locus non ita intelligi possit, ut, quod nuper etiam Hofmannus (Schriftbeweis. I. pag. 259, ed. prior) multis auctoribus fecit, *πνεῦμα* et *ψυχήν* interpreteris non esse duas inter se diversas partes, sed unius ejusdemque naturae spiritualis duo diversa nomina pro diversa efficacia. Nam 1) vocibus *ὁλοτελής* et inprimis *ὁλόκληρος* *) Paulus indicat, se singulas hominis partes integras enumerare velle, et color totius loci undique talis est, ut neque hyperbolam rhetoricam neque negligentiam, quae auctoris sententiam occultet, exspectes. 2) Eadem divisio reperitur Hebr. 4, 12 *ἄχρὶ μερισμοῦ ψυχῆς καὶ πνεύματος*, quamquam hoc discrimen in illa

*) De harum vocum discrimine bene disputavit Tittmannus de synon. in N. T. I, pag. 181.

epistola non pariter accurate observatur atque a Paulo, cfr. 10, 39. 3) Neque minus illa doctrina tunc temporis paene communis fuit, etiam Josephi*), Philonis et Rabbinorum (cfr. Eisenmenger entdecktes Judenthum I, pag. 887 sqq.), itaque Paulo certe non ignota. 4) Omnes fere Patres ecclesiastici priores, uno, nisi fallor, Tertulliano excepto, ita hominis naturam diviserunt, usque ad haeresin Apollinariam, quae, quum maxime in illa partitione nisa esset, Patres commovit, ut illam quasi periculosam relinquerent. 5) Omnes denique epistolae Paulinae subtiliter notiones ψυχῆς et πνεύματος discernunt**), ut nisi ab interpretibus et psychologis biblicis singulorum librorum sacrorum doctrinas commiscentibus permutari non possint. Utrumque in homine proprietatem suam habet.

Neque minus errant, qui partes illas in *homine nondum regenerato*, quia spiritu divino careat, alias esse quam in regenerato contendunt, sive illum bipartitum***) faciunt, sive tripartitum†). Paulus enim docet, πνεῦμα i. e. spiritum *hominis* omnino differre a spiritu sancto, et ad naturam

---

*) Josephus quidem hanc distinctionem non constanter sequitur, non magis quam auctor epistolae ad Hebraeos, sed indefinite voce ψυχῆς de nobiliore hominis parte utitur, opposita corpori, tamquam ignobiliori parti, cfr. de bello Jud. II, 8, 11, coll. ibid. 14, p. 166 et saepe (ed. Havercampi).

**) De locis, quibus ψυχή notionem spiritualem habet, cfr. §. 3.

***) Usteri pag. 414 seqq. et Tholuckius in egregia disputatione de notione carnis Paulina (Studien u. Kritiken 1855. pag. 492 seqq.) hominem *naturalem* bipartitum faciunt, quum, ex eorum sententia, in tali homine spiritus, qui non satis distinguitur a divino, nondum exstet, et νοῦς ac καρδία facultates ψυχῆς sint. Ille statuit, πνεῦμα esse δύναμιν quandam; hic, quoddam fluidum, quo ψυχή ejusque organa repleantur.

†) Crednerus (in praell. nondum editis) negat quidem, e sententia Pauli spiritum in homine infideli exstare, tamen eum quoque tripartitum facit, quum νοῦς qui τὴν ψυχὴν nobilitate longe antecedat vicem spiritus praestet.

ejus integram constituendam pertinere. Quod sequitur 1) e doctrina Paulina de imagine divina, quam Hofmannus I. 252 recte non in *moribus* sed in *natura* hominis *spirituali* („nicht in einem sittlichen Verhalten, sondern in einem Verhältnifs, in der geistigen Persönlichkeit") positam censet. Nam Paulus eam etiam paganis nondum spiritu sancto regeneratis vindicat. Illud „ipsius enim genus sumus" (Act, 17, 28) eo demonstrat, quod in ipso vivimus et movemur et sumus; talis autem cum Deo, qui spiritus est, conjunctio esse non potest, nisi per illam hominis partem Deo propinquam. Pariterque etiam ἡ δόξα τοῦ θεοῦ, quae I Cor. 11, 7 homini et inprimis viro adscribitur, in spiritu posita est (cfr. Usteri, Paul. Lehrbegriff pag. 32. 4. Ausg.). — 2) Ex iis locis, ubi sine dubio *hominis* spiritus, regenerationis nulla prorsus ratione habita, *divino* opponitur, vel certe ab eo distinguitur (I Cor. 2, 11; 5, 5; 14, 14 etc.) *). Quod hanc ob rem jam constat, *divisionem Pauli tripartitam etiam ad hominem nondum regeneratum pertinere,* quum spiritus huic quoque conveniat, id uberiore singularum hominis partium descriptione magis magisque confirmabitur.

---

*) Ex hic locis patet, homini non demptam esse imaginem divinam, i. e. spiritum principio a Deo ei inflatum. Alii autem loci demonstrant, lapsu Adami (Rom. 5, 12 seqq.) statum hominis originalem mutatum esse, qui regeneratione restituendus sit. Eodem sensu etiam Eph. 4, 23 et Col. 3, 10 ἀνανεοῦσθαι et ἀνακαινοῦσθαι, statu originali praesumto, dicta sunt, quum falsum sit, quod Winerus de verbb. cum praepp. compositorum in N. T. usu III, 10, et post eum alii, etiam Meyerus ad h. l., contra disputaverunt. Jam exempla, quae Winerus ad opinionem suam illustrandam a lingua Germanica petiit »erneuern«, »auffrischen« falsa sunt, semper enim haec quoque verba indicant, aliquid olim »frisch« vel »neu« fuisse. Ceterum qui disciplinam Paulinam explicant, magis quam fieri solet loci de statu originali rationem habere debent, unde multi alii loci (inprimis ille de statu δικαιοσύνης) magis illustrentur.

Cap. I.

Ψυχή; **anima.**

§. 2.

De notione vocabuli apud Graecos, in Vetere et Novo Testamento.

Ψυχῆς vocabulum ducitur a ψύχειν (ut πνεῦμα a πνέω §. 4), quod significat *spirare*, *flare*, sicut in omnibus linguis, quod sciam, facultates spirituales praecipue a *spirando* et *flando* ducuntur *). Athanasius de definitionibus t. II, pag. 491 dicit ἐκ τῆς ζωοποιοῦ ἐνεργείας ψυχήν nomen habere, ψύχειν enim significare ζωοποιεῖν. Quod vero Athanasii est commentum, quum istaec significatio nusquam exstet (ψύχειν potius etiam *refrigerare*, ideoque *occidere* significat, cfr. Alexis apud Ath. VIII, 336 seq. ψύξει σ' ὁ δαίμων. Apoll. Rhod. 4, 15. 17). Nec minus falsa est Platonis opinio (Cratyl. p. 400) a Stirmio (Anthropologisch-exegetische Untersuchungen, in der Tübinger Zeitschrift für Theologie 1834. 3. Heft. pag. 32) probata, ψυχήν vocari quod ἀναψύχῃ sanguinem (τὴν τοῦ ἀναπνεῖν δύναμιν πάρεχον καὶ ἀνάψυχον). Origenes autem, qui ψυχήν refrigeratione quadam vitae divinae superioris exortam, ideoque ἐκ ψύξεως ἀπὸ τοῦ ζῆν ἐν πνεύματι (de princip. II, 8. 2) nominatam esse existimat, originem vocabuli non ex etymo explicavit, sed ad suam disciplinam accommodavit.

---

*) Vernaculum *Seele*, goth. sáiv-a-la, hochdeutsch se-u-la, selá ducitur a themate *saivan*, i. e. vehementer movere.

Ψυχή vero apud *Graecos* significat primum *spiritum naturalem* (per os editum), *halitum*, deinde *vim vitalem*, *id per quod vivimus* : *animam*; sed etiam ad res spirituales refertur et significat *animum*, *spiritum*, *mentem*. Apud philosophos medium quoddam est inter *νοῦν* et *σῶμα*, utriusque proprietatum particeps, cujus *ὁ θυμός*, *τὸ θυμικόν*, sed etiam *τὸ ἐπιθυμητικόν* (Plato) vel *αἱ ὁρμαι* *) (Anton. *πρὸς ἑαυτὸν* III, 16) propria sunt **). Philo, Platonem secutus, distinguit inter *ψυχὴν αἰσθητικήν*, cujus sedes in sanguine sit, et inter *ψυχὴν λογικὴν καὶ νοεράν*, *cujus οὐσία τὸ θεῖον πνεῦμα, κατὰ τὸν θεόλογον* (pag. 668. ed. Mangey). Eodem modo et priores ecclesiae Patres *ψυχήν* statuunt esse aliquid quod infra *τὸ πνεῦμα* sit vel *τὸν νοῦν* ***), sed a Chrysostomo, Gregoriis, aliis, ea promiscua habentur, sicut etiam Hesychius pro illa *πνεῦμα* et Suidas *πνεῦμα νοερόν* ponit. Cfr. Suiceri thes. s. v. *ψυχή*.

נֶפֶשׁ hebraicum a verbo נָפַשׁ *spirare* ductum, sicut *ψυχή* a *ψύχειν*, in V. T. idem significat quod רוּחַ et נְשָׁמָה (nam hoc inter omnes fere nunc constat, in hac utraque voce non majorem vim inesse, quam in illa; quam sententiam inter alios nuper repugnavit Tijsenus in egregia dissertatione de Pauli anthropologia pag. 68). Primum igitur, sicut illae voces, significat *respirationem*, *spiritum oris* (Job 41, 13), tum *principium vitae animalis* in *sanguine* consistens : *animam*, vitam ipsam (Lev. 17, 11; Gen. 9, 4. 5; Thren. 2, 12; I Reg. 17, 21); deinde *omnia quae vivunt* sive

---

*) *Αἱ ὅρμαι* Antonii prorsus respondent *τῷ θυμικῷ* Platonico, cfr. Plat. defin. 415. e. ubi *τὸν θύμον* explicat esse *ὁρμὴν βίαιον ἀνευ λογισμοῦ*.

**) De sententia Aristotelis cfr. §. 16.

***) cfr. inprimis Lactant., de opif. Dei 18. II. pag. 119 seqq.

bruta sive homines (Gen. 9, 10; Exod. 1, 5); denique etiam *vitam spiritualem*, *animum*, *mentem*, eadem notione qua לֵב, quo sensu etiam Deo נֶפֶשׁ adscribitur (e. g. Jes. 1, 14).

In *versione Alexandrina* tum ψυχή tum πνεῦμα, sine ullo discrimine, reperitur, quem usum et libri apocryphi et scriptores N. T.*), uno Paulo excepto, secuti sunt. Reperitur enim ibi et illa notio naturalis inferiorque: vita, quae in respiratione posita est (Act. 20, 10 etc.), et haec notio spiritualis superiorque: id quod aliis locis πνεῦμα ipsum vocatur (Matth. 10, 28. 39; Hebr. 13, 17; Jac. 1, 21 et saepe). Itaque in N. T. occurrit ψυχή post mortem futura, et ψυχή interitura (Matth. 10, 39; 16, 25 cll. v. 26).

§. 3.

Proprietas τῆς ψυχῆς Paulinae.

In *disciplina* psychologica Paulina nunquam aliquid spirituale ψυχῇ tribuitur**). Ubicunque enim Paulus aliquid de parte hominis spirituali statuit, praesertim iis locis, quibus *substantiam* spiritualem sic declarat vel saltem significat ut a parte corporali vel animali secernat, semper usus est vocabulo πνεύματος. Vide igitur, quam peculiaris sit sermo Paulinus, quum comparas I Cor. 5, 5 εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ***) cum Matth. 10, 28

---

*) Certe arbitrarie ab Olshauseno aliisque (etiam Stirmio et Tijsseno) inter has notiones ita distinguitur, ψυχήν dictam esse, si agatur de propria affectione, πνεῦμα autem, si affectio pertineat in regnum Dei.

**) De locis, qui ad hanc sententiam non quadrare videntur, cfr. quod infra disputabimus.

***) Hoc loco πνεῦμα, quod servatur, sine dubio humanum est, nam si de divino interpreteris, sententiam vere manichaeam reperias.

τὴν ψυχὴν μὴ δυνάμενοι ἀποκτεῖναι, vel Gal. 5, 17 ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος cum I Petr. 2, 11 ἐπιθυμιῶν αἵτινες στρατεύονται κατὰ τῆς ψυχῆς, vel Eph. 4, 23 ἀνανεοῦσθαι τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς ὑμῶν cum Hebr. 10, 39 ἐσμὲν . . . . πίστεως εἰς περιποίησιν ψυχῆς. Jam ex ordine partium humanarum, qui I Thess. 5, 23 reperitur, patet, ψυχήν mediam esse inter πνεῦμα et σῶμα (σάρκα); ac pariter I Cor. 15, 44. 46 docetur, πνευματικόν aliquid altius et excelsius esse quam ψυχικόν. Maxime autem valet ad notionem vocabuli perspiciendam totus locus I Cor. 15, 35—49, ubi ψυχή et σῶμα ψυχικόν opponuntur τῷ πνεύματι et τῷ σώματι πνευματικῷ. Vox ψυχικοῦ hîc alium sensum habet ac I Cor. 2, 14, ubi ethice usurpatum est, sicut etiam Jud. 19 et Jac. 3, 15, nam v. 45 ψυχήν homini a Deo datam esse monetur, quum τὸ ψυχικόν illud pravum hominis opus sit. I Cor. 2, 14.

Duo illo loco corporum genera a Paulo distinguuntur, quorum alterum, quod ἐν φθορᾷ, ἀτιμίᾳ, ἀσθενείᾳ versatur ***), uno nomine omnia complectente σῶμα ψυχικόν, animale, vocatur, quo etiam Adamus a principio praeditus erat, quum esset ἐκ γῆς χοϊκός (v. 47) et εἰς ψυχὴν ζῶσαν factus (v. 45); et ita ejus corpus quum nondum in illud corpus spirituale, quod hac infirmitate caret, transformatum esset, omnibus disturbationis casibus obnoxium erat, quibus corpus animale, quod adhuc in

---

*) Hanc conditionem corporis miseram ad totam vitam, quatenus anima constituitur, non (quod, ut Chrysostomus: τί γὰρ εἰδεχέστερον νεκροῦ διαῤῥυέντος, aliique veteres, sic etiam Meyerus voluit) ad momentum sepeliendi pertinere, jam ex imagine ipsa planum fit, nam non τὸ θάπτεσθαι, sed τὸ σπείρεσθαι est tertium comparationis; κόκκος autem, quum seminatur, non magis in statu corruptionis, quam ante est. Comparatur potius ignobilitas atque deformitas grani seminandi cum pulchritudine et nobilitate culmi ex illo nati.

hominibus apparet; quippe quum ψυχή, sicut etiam in brutis, per se non habeat potestatem, mortem imminentem a se retinendi. Locus igitur hoc tantum indicat, hominem factum esse vivum, facultate vivendi praeditum, et sine dubio omnes interpretes errant, qui hoc loco de hominis natura aliquid praeclari praedicari putant*). Qua quidem ex re non magis effici potest, Adamum *spiritus* expertem fuisse, quam ex altero versus membro *anima* Christum caruisse; utravis enim pars deest, mancus evadit homo, at Christum verum et integrum fuisse hominem Paulus docet (15, 21; Rom. 5, 19; 8, 3). Sed a potiori fit denominatio: πνεῦμα in Adamo quidem fuit, sed nondum efficax. Quoniam autem homo εἰς θεόν (Rom. 11, 36; I Cor. 8, 6)**) creatus erat, spiritui, quod est organum, quo homo cum Deo conversatur, obtemperare debuerat, unde, si spiritu corpus et anima paulatim spiritualia facta essent, tum sanctitatem ethicam tum immortalitatem metaphysicam adeptus esset (cfr. §. 8)***). Sed organa spiritus, mens et cor, quibus homo cogitat, sentit et vult, e contrario *animae et carni subjecta* sunt, ita ut homo in se ipso, i. e. in anima sua, persisteret et a carne ejusque concupiscentia ageretur. Quae obtemperare debuerant, dominium sibi arripuerunt. Unde factum est, ut neque sanctitatem neque immortalitatem homo adeptus sit, sed manserit ψυχικός (quod nunc habet etiam notionem ethicam

---

*) Beckius (biblische Seelenlehre pag. 9) hoc loco reperit, animam corpori tribuisse naturam suam lucidam („ihre Lichtnatur").

**) ἡμεῖς puto ad omnes homines, non solum ad Christianos spectare. Creationis enim momenti ratione habita consilium Dei Paulus patefacit.

***) Paulus aeque atque auctor Geneseos sanctitatem et immortalitatem *concreatam* ignorat. cfr. Schmid, biblische Theologie II. pag. 258. Meſsner, Lehre der Apostel 214.

pravi, selbstsüchtig) et factus sit σαρκικός (σάρκινος jam ante fuit), spiritusque a partibus animalibus separatus, eas penetrare suaeque naturae participes reddere non potuerit. Itaque illud Dei consilium, ut primum esset animale, tum spirituale (v. 46), hominis culpa in irritum cecidit. Quem statum ut commutaret, Deus novum hominem creavit. Secundus enim Adamus venit de coelo (v. 47), non secundum corporalitatem suam, sive primitivam sive glorificatam, sed ut erat πνεῦμα ζωοποιοῦν (v. 45 *) cfr. II Cor. 3, 17; Rom. 1, 4, ubi Christum nondum resurrectione glorificatum intellige). Verba igitur illa duplicem sensum continent: 1) Secundum hominem, qui de coelo venit, jam ab initio id fuisse, quod primus per vitam paulatim fieri debuerat: πνεῦμα; 2) eum, tamquam filium Dei, non solum πνεῦμα ζῶν, sed potius ζωοποιοῦν fuisse, a quo nova vita in ecclesiam ipsi insertam transire potuit. Itaque lex illa, qua ψυχικόν prius, πνευματικόν autem posterius est (v. 46), ab hominibus abrogata, denuo viget, quippe non per viam naturalem, sed per Dei novam creationem, quoniam in Christo conditio fertur, ut homines tales fiant, quales

---

*) Vox ἐγένετο in secundo versus membro propter parallelismum prioris non ad resurrectionem, sed ad nativitatem Christi spectat; jam ante mortem et praesertim in morte Christum vivificantem fuisse, sententia Paulina est (aliter habet epistola ad Hebraeos). Meyerus (cfr. etiam Hofm. II. 1. pag. 385; Rückertus haesitat) contra dicit, Christum σῶμα ψυχικόν habuisse (Rom. 8, 3), quamquam sine peccato fuerit. Est quidem ita! Sed Paulus non de *corporis* Christi natura loquitur; quod enim eum fuisse πνεῦμα ait, non idem est, ac si dixisset ipsi σῶμα πνευματικόν fuisse. Nec quisquam, e Pauli sententia, a peccato prorsus liber esse potest, nisi πνεῦμα fiat. Quod autem Christus σῶμα πνευματικόν ideoque immortale, naturae suae spirituali consentaneum non assumpserit, actus exinanitionis ad redemptionem omnino necessarius fuit. Eundem sensum praebet etiam II Cor. 8, 9, ubi ἐπτώχευσεν de Christi corpore animali, omnibus perturbationibus obnoxio, πλούσιος ὢν de Christo, quatenus πνεῦμα erat occurrit.

Christus est : ἐπουράνιοι, quod idem est ac πνευματικοί, duplice sensu, et ethico et metaphysico *).

Ut igitur omnia paucis complectamur : ψυχή, anima, ea est vis, qua corpus viget et movetur (σῶμα ψυχικόν) **). Differt non minus a spiritu quam a corpore, sed ad hoc, quum et ipsa inferior quaedam hominis pars sit, propius accedit, ita ut ambo eadem ratione spiritui opponantur. Quum sit vinculum, quo spiritus cum corpore conjunctus est, ei a Deo propositum est, ut a spiritu gubernaretur atque penetraretur ***), neque in se ipsa persisteret, quasi esset aliquid per se; nam e vita animali, quae a principio data est, vita spiritualis enasci debet. Ψυχή Paulina idem est ac Philonea αἰσθητική vel Platonicum τὸ ἐπιθυμητικόν, neque illud Platonicum τὸ θυμικόν ψυχῆς Paulinae proprium est, nam affectus aut in καρδίᾳ aut in πνεύματι ipso inesse videbimus. Illa *corporis* tantum sensus, sive dolore sive voluptate afficiuntur, percipit, sed simulac de iis cogitatur, vel aliquid statuitur, spiritus ejusque organa agere incipiunt. Ne conscientia quidem *sui* — ut alii voluerunt — in anima posita est (cfr. I Cor. 2, 11).

---

*) V. 49 *adhortatur* Paulus, ut hanc gratiam comprehendamus : φωρέσωμεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου. Quem adhortandi sensum verum esse, patet e lectione conjunctivi φορέσωμεν, omnium fere codicum (maj. uno excepto B.) auctoritate commendata et a Lachmanno in textum recepta. Contextus autem orationis hic est : Quoniam, qui Christum apprehendunt, tales sunt, qualis ipse est, ἐπουράνιοι i. e. πνευματικοί (sensu metaphysico), studeamus, ut quemadmodum imaginem primi Adami tulimus, sic etiam feramus imaginem secundi, et ἐπουράνιοι i. e. πνευματικοί (sensu ethico) fiamus. Deinde conditione ethica causaque efficiente commemorata, v. 50, ad descriptionem resurrectionis revertitur, quod Chrysostomus et Theophylactus, qui versum superiorem recte interpretantur, neglexerunt.

**) Τα ἄψυχα res sunt quae tali vita carent.

***) Sicut corpus paulatim spirituale fieri debebat, sic etiam anima.

Saepe igitur *ψυχή vitam* ipsam significat (Rom. 11, 3; 16, 4; I Thess. 2, 8), sicut etiam Act. 20, 24 in oratione a Paulo Mileti habita. Deinde significat *personam anima constitutam*, ubi partis spiritualis ratio non habetur; sic: II Cor. 1, 23: *μάρτυρα τὸν θεὸν ἐπικαλοῦμαι ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχήν*, ubi Rückertus bene comparat hebraicum עַל־נַפְשִׁי; 12, 15; sed his locis oratio neque hebraizans neque vocabulum idem est, quod pronomen personale, sed *ἐμφατικῶς* usurpatur, ut in omnibus linguis (cfr. Winer, griech. Gramm. d. N. T., 6. Aufl. pag. 141). Eodem modo Rom. 2, 9 scriptum est *θλῖψις καὶ στενοχωρία ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπου*, quod neque prorsus idem est, atque *ἐπὶ πάντα ἄνθρωπον* — ut multi, in quibus nuper Philippi, interpretati sunt — neque sensum illum habet subtiliorem, quem Bengelius reperit: „poena incumbit et anima feret invita." Subtiliter autem dictum est Rom 13, 1: *πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω*, nam magistratus potestatem animae tantum, non spiritus habet, qui in manibus Dei est. cfr. Act. 4, 19; 5, 29.

Ab horum locorum ratione discrepant Eph. 6, 6: *ἐκ ψυχῆς ποιοῦντες*; Col. 3, 23: *ἐκ ψυχῆς ἐργάζεσθε* = ex animo (cfr. Nicarch. epigr. 2. *αἰνεῖν ἐκ ψυχῆς*) ubi, ut Olshausenus de trichotomia pag. 160 et Oehlerus, Herzogs Realencyclopädie s. v. Herz, recte monuerunt, secundum reliquam Paulinam loquendi rationem, *ἐκ καρδίας* desideraveris. Itidem valet de Phil. 1, 27: *ἀκούω ὅτι στήκετε ἐν ἑνὶ πνεύματι, μιᾷ ψυχῇ συναθλοῦντες* i. e. uno animo (cfr. Herodian. 8, 5. 15 *μιᾷ τε γνώμῃ καὶ ψυχῇ ὁμοίως Μαξιμῖνος μεμίσεται*; multa alia exempla hujus formulae frequenter usurpatae vide apud Beierum ad Cic. de amicitia cap. 21, §. 81, ed. maj.). Hi tres loci valde a ceteris differunt, nam in iis *ψυχή* sine dubio magis Platonico *τῷ θυμικῷ* propinqua est, quod Paulus alias cordi spirituali

tribuit. Sed postquam notionem vocabuli *psychologicam* in locis, ubi inter notiones psychologicas distinguitur, inprimis I Cor. 15, strictiore sensu reperimus, Paulum mihi placet hanc significationem e vulgari loquendi usu (cfr. Marc. 12, 30. 33; Luc. 10, 27; Act. 4, 32) assumpsisse, sicut etiam composita *εὐψυχεῖν* Phil. 2, 19, *ὀλιγόψυχος* I Thess. 5, 14, *ἰσόψυχος* Phil. 2, 20, *σύμψυχος* 2, 2 (quod idem atque *ὁμοθυμαδόν* Rom. 15, 6). Ita scriptor psychologicus, qui habet notionem distinctam nostri „Sinn“ vel „Geist“, latiore sensu dicere potest: „mit Sinn, mit Geist reden.“ Ceterum *ψυχή* et *καρδία* eo facilius permutari potuerunt, quod in illa sensus corporis, in hac affectus cordis sunt, qui semper vim quandam inter se invicem exercent *).

Cap. II.

Πνεῦμα. **Spiritus.**

§. 4.

De notione vocabuli apud Graecos, in Vetere et Novo Testamento.

In V. T. רוּחַ a themate inusitato רוח i. e. *flare, spirare* (propinquum פּוּחַ) ductum, sicut נֶפֶשׁ (§. 2) et נְשָׁמָה primum naturalem notionem habet, *venti*, *halitus*, *spiritus ex ore emissi*, tum sicut נֶפֶשׁ ani*mam*, quae corpus animat, eandem hominibus animalibusque communem, significat. Hinc sequitur notio spiritualis ani*mi* vel *spiritus*, quo Deus, et per eum homines brutis praestant. In homine igitur fons

*) In epistolis ad Titum et Timotheum abest et substantivum et adjectivum; atque usus notionum psychologicarum a Paulino aliquantulum discrepans opinionem illam, eas non a Paulo conscriptas esse, non per se quidem certam reddit, sed adjuvat.

sensuum, affectuum, intelligentiae, voluntatis, et sedes est, in qua spiritus divinus hominem movet. Spiritus divinus notionem sanctitatis et potentiae sibi adjungit (cfr. lexx. et inprimis Ackermann, Beitrag zur theologischen Würdigung der Begriffe *πνεῦμα, νοῦς* und Geist, Studien und Kritiken 1839 pag. 873 seqq.). Eadem via etiam ceterae linguae progressae sunt. *Animi* vocabulum, a graeco *ἄνεμος* ductum, nusquam de vento dictum invenitur; sed *anima*, cui usus loquendi ab *animo* secundas dat partes, saepissime est aër, ventus, spiritus per os emissum. Necnon vocabulum *spiritus* ipsum, a themate *spirandi* ductum, eandem significationem habet, nisi quod nunquam aër tranquillus esse potest, quoniam sua natura usque movetur, sicut et *ἄνεμος* et praesertim *πνεῦμα*, quod jam sua origine spiritus humani vel divini mobilem et alacrem naturam indicat. Quum latinum ani*ma*, si ratione psychologica usurpatur, *ψυχῇ* respondeat, ani*mus* (cujus mens propria est, Cic. Tusc. 3, 5 et saepe) atque spiritus superiorem hominis naturam efficiunt, quamquam ille interdum animae i. e. *τῆς ψυχῆς* loco habetur (exempli gratia Virg. Aen. 10, 487 : „una eademque via sanguis animusque sequuntur"). Etiam nostrum „Geist" simili etymo est exortum; ducitur enim a verbo veteris linguae Saxonicae „gust" i. e. blasen, „geisten" (Gailer von Kaisersberg : der Geist geistet, wo er will; biblia germanica anno 1481 edita : Gott geistet in sein Antlitz den Geist des Lebens). Cognatum est vocabulum „Gäscht" i. e. gährende Bewegung, unde ducitur „Gischt"; et „Geisel", flagellum motum (cf. Weigand, Wörterbuch). Vocabulum graecum *πνεῦμα* a themate *πνέω* (primitus *πνέϝω* cum digammate Aeolico, quod ante consonantes in *υ* transit, itaque fut. *πνεύσομαι* et perf. pass. *πέπνυμαι*) a scriptoribus profanis nonnisi naturali significatione dicitur, de halitu videlicet et de vento. Sic liber

Aristotelis *περὶ πνεύματος* scriptus de aëre in corpore humano agit, et *πνευματικοί* genus sunt medicorum, qui quidquid corpori accidit ab aëre proficisci putant. Quin afflatus divinus, ubi ejus significatio verbo *πνέω* vel nomini *πνεῦμα* subest, etsi elevationem quandam mentis humanae afferat, tamen non ita cogitari licet, ac si praeter naturam fieret vel ex ejus finibus excederet, sed mere est naturalis, quod Ackermannus pag. 903 seqq. bene ostendit. Sic Strabo 9 pag. 419 afflatum e specu Delphico progredientem *πνεῦμα ἐνθουσιαστικόν* vocat, et Plutarchus de def. orac. vocabulo saepe de Pythia utitur, e. g. *κακοῦ πνεύματος οὖσα πλήρης* cfr. Diosc. Anthol. Pal. 6, 220 *ἄγρια χαλεπῆς πνεύματα θεοφορίης*. Hom. Il. 10, 482 : *τῷ δ' ἔμπνευσε μένος γλαυκῶπις Ἀθήνη*. Plat. Phaedr. 242, b; 245, a; et saepe. Itaque verbo apud Graecos semper aliquid naturale inest. Propius ad notionem librorum sacrorum accedit perf. pass. *πέπνυμαι* afflatus sum, unde semper animatus, prudens sum : Il. 24, 377 : *πέπνυσαι νόῳ*. Od. 18, 230 : *πεπνύμενα πάντα νοῆσαι*.

In versione LXX interpretum hebraicum רוּחַ vertitur vocabulo *πνεύματος*, sive significat aliquid naturale, sive spirituale, et in libris apocryphis et a scriptoribus N. T. saepissime usurpatur eodem sensu latiore. Significat enim et ventum (Joh. 3, 8), et spiritum oris (Apoc. 11, 11), et animam (Matth. 27, 50 : *ἀφῆκε τὸ πνεῦμα*; ubi Paulus dixisset *τὴν ψυχήν*; cfr. Luc. 8, 55 *ἐπέστρεψεν τὸ πνεῦμα αὐτῆς*), et summam hominis partem, quae sentit, intelligit et vult (Matth. 26, 41; Luc. 1, 27). *Ψυχή* et *πνεῦμα* igitur a scriptoribus N. T. praeter Paulum nondum accurate discernuntur.

§. 5.

De notione πνεύματος ejusque natura apud Paulum.

Paulus, qui primus est in notionibus psychologicis accuratius distinguendis, constat quoque sibi suaeque

sententiae, quo numero locoque spiritus sit habendus *). Sed alia est difficultas, quod vocabulo aeque utitur de spiritu hominis sive originali sive a divino restituto, ac de spiritu divino in illo efficace, unde factum est, ut singulos locos alii aliter interpretati sint.

E locis I Thess. 5, 23; I Cor. 15, 46 patet, *πνεῦμα* in divisione tripartita summum locum tenere. Si igitur *ψυχή* natura *animalis* cum sensuum corporalium et vita et affectibus est, id, per quod vivimus; *πνεῦμα* oportet explicari totam esse naturam *spiritualem*, in qua posita est intelligentia, sensus cordis, voluntas, id igitur quo homo fit persona sibi ipsi conscia ethicaque. Omnia quae efficiunt, ut homo homo sit, a bestiisque discernatur, in spiritu posita sunt, ut verbo dicam, hominis imago divina. Deus spiritus est, homo spiritum habet (consummatus autem totus *πνευματικός* erit, etiam *σώματι*); neque haberet, nisi ipsi a Deo inditus esset, non est nisi per Deum: Dei spiritus igitur, ut verbis utar, absolutus, hominis relativus est. Semel autem exstans, non potest rursus interire, nam essentia ejus *ζωή* est (Rom. 8, 10). Spiritus non solum est actio, agendi ratio animae, sed potius substantia in se ipsa consistens, quod multi interpretes negarunt, vel certe dubitant. Immo Ackermannus pag. 882 errat, iis locis, quibus *πνεῦμα* genitivus, e. g. *πίστεως*, *ἀγάπης* etc. sequatur, non plus habere momenti quam „der abstracte Begriff Princip oder Ursache." In similem errorem Tijssenus pag. 76 incidit; statuit enim primariam atque peculiarem vim *πνεύματος* eam esse, qua designet principium movens et efficax. Substantia potius semper est

---

*) Semel tantum occurrit spiritum oris significans II Thess. 2, 8 *πνεῦμα τοῦ στόματος*, verum memoria quorundam locorum V. T. animum Pauli subierat Jes. 11, 4 בְּרוּחַ שְׂפָתָיו Ps. 33, 6 בְּרוּחַ פִּיו.

aliter aliterque affecta, et ideo tantum quoniam substantia est, etiam efficax est. Sicut substantia divina (Rom. 1, 20) etiam spiritus humanus incorporeus et invisibilis est. Itaque et *ψυχή* et *σῶμα* spiritui opponuntur *), spiritus prorsus contrarius est corpori et carni, sive ethica hujus ratio consideratur, sive non (Rom. 8, 10; I Cor. 5, 3. 5; 7, 34; cfr. Rom. 1, 3. 4; Col. 2, 5). Corpus aliquod spatium occupat, spiritus autem efficacia spatii et temporis terminos transilit (I Cor. 5, 3; Col. 2, 5). Quum sit intima hominis pars, eum quoquoversus penetrat (I Cor. 2, 11), et per organa sua, cor et mentem, regit.

§. 6.

De efficacia spiritus Paulini. **)

Spiritus substantialis causa et principium est cujusque *conscientiae* et sui et mundi et Dei. Dei enim conscius est quod ab eo exiit et cum eo arctissime conjunctus est; sui, quod est substantia in se ipsa consistens; et mundi denique, utpote organis instructus, quibus mundum sentire et percipere queat. Neque minus est causa et *sensus spiritualis* et *voluntatis*.

Mundi conscientia Paulus, quae est sua disciplina psychologica, semper organorum spiritus esse ait vel significat, minus spiritus ipsius. Sui vero conscientiam ad ipsum spiritum refert (I Cor. 2, 11). Quare errant, qui eam *τῇ ψυχῇ* vel ipsi *τῷ νοΐ* assignant, et Tholuckius *πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τοῦ νοός* loco scriptum esse ex antithesi

*) Sensu ethico opponitur *πνευματικός τῷ σαρκικῷ* (vel graviori *σαρκίνῳ*, de quarum vocum discrimine cfr. Bleek ad Hebräerbrief 7, 16) et *τῷ ψυχικῷ*, quod ita non fieri posset, nisi notio vocabulorum metaphysica ausam praeberet.

**) Hac § agitur de efficacia spiritus, qualis in ejus natura posita est, statu peccati et restitutionis prorsus neglecto.

πνεύματος τοῦ θεοῦ parum subtiliter judicat. Quam sui conscientiam obscurari posse, perspicuum et a Paulo ipso asseveratum est (Rom. 1, 22 et saepe).

Maximum momentum spiritus in *rebus ad Deum vitamque religiosam pertinentibus* habet, quibuscum *ethicae* absolute conjunctae sunt, quum homo sit et *ἐξ θεοῦ* et *εἰς θεόν* (Rom. 11, 36; I Cor. 8, 6). Spiritus igitur inprimis causa est Dei conscientiae sedesque commercii cum Deo. Quoniam divini generis est (Act. 17, 28) etiam ad ipsum pertinet quod I Cor. 2, 10 praedicatur: *τὸ γὰρ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ καὶ τὰ βάθη τοῦ θεοῦ.* Statuo enim hoc non solum de spiritu divino esse praedicatum, sed de spiritu in universum, nam praeterquam quod locus speciem prae se fert sententiae cujusdam generalis, etiam *αὐτοῦ* desiderares, si res aliter sese haberet. Cum Deo, a quo ortus est, natura sua conjunctus, *ἐν αὐτῷ* vivens (Act. 17, 28) et Deum in se gestans (Rom. 8, 16; I Cor. 3, 16; 14, 2) accipit ab eo testimonia (Rom. 8, 16), revelationes (I Cor. 2, 10 cfr. 12), sapientiam et intelligentiam (Eph. 1, 17), et homo spiritualis percipit *τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ* (I Cor. 2, 14). Haec Dei conscientia in spiritu ipso orta confirmatur, excolitur et comprobatur efficientia spiritus organorum, quae et ordinem naturae (Rom. 1, 20) et judicia viasque Dei (I Cor. 2, 16 cfr. Rom. 11, 33 seqq.) considerant atque in se volvunt.

At spiritus efficientia, quae in percipiendo et intelligendo se exhibet, prorsus diversa est ab intelligentia *τοῦ νοός* in consilio et judicio posita (qua de re Ackermannus bene disputavit p. 899). Ratio enim, qua spiritus intelligit, non est ad modum cogitandi atque meditandi composita („Speculation" et „Reflection") — sicut etiam *ἡ ἀποκάλυψις* quae in spiritu fit non singulas *doctrinae partes* revelat (I Cor. 2, 10; cfr. Schulz, über die Geistesgaben der

ersten Christen) — sed immersio quaedam in rem perfecta, cum ardore atque impetu quodam conjuncta, quam nos „Intuition“ tamquam actionem quandam mysticam vocare solemus. Intellectus et cogitatio in spiritu nondum sejuncta sunt a sensu et voluntate, sed hae tres actiones una quasi comprehenduntur. Quod idem, si quid viderim, Paulus fecit, quum spiritum scriberet *ἐρευνᾷν τὰ βάθη τοῦ θεοῦ* (I Cor. 2, 10), h. e. remotam Dei ab omni pervestigatione atque exploratione naturam et quae omnia in ea insunt. Haud male profecto nonnulli interpretes, illi *ἐρευνᾷν* aliquid quietis contemplativae — sit venia verbo — et delectationis beatae subesse judicant. Confirmatur eorum judicium capite I Cor. 14, praesertim verss. 2. 4. 14. 15. 23. Perperam Usterius Oecumenio praeeunte *πνεῦμά μου* idem esse statuit ac *ψυχήν μου*, neque minus errant Bleekius, Billrothus, Rückertus, Olshausenus, qui, Chrysostomum secuti, sanctum in cordibus regeneratorum spiritum significatum esse volunt *). Obstat verborum *πνεῦμά μου* et *νοῦς μου* congruentia, quae explicationem illius *μου* utriusque parem postulat; obstat praeterea, quod omnes interpretes fugit, quod, istac interpretatione admissa, *γλωσσολαλία* nihil proprii habet, quo a ceteris charismatis dignoscatur, utpote quae omnia, *προφητείαν* et *διδασκαλίαν*, *λόγον σοφίας* et *λόγον γνώσεως* (licet mens adjuvat) spiritus divinus largiatur. Vix alia ex re glossolalia capp. XII et XIV relata**) constat, quam enthusiasmo voces singulas ebulliente, laudibus Dei interruptis, laetis exclamationibus spiritus *εἰς τὰ βάθη τοῦ θεῦ* demersi expressis, sed iis

---

*) Bengelius et *πνεῦμα* et *νοῦν* facultates animae esse putat, illud patientis, hunc progredientis et agentis.

**) Hîc quaestio esse non potest quae ratio intercedat inter glossolaliam Paulinam et glossolaliam Actorum.

non continuis neque inter se connexis, quoniam *νοῦς τοῦ γλώσσῃ λαλοῦντος* omnino otiosus est, alienus a cogitatione et discretione, qua tamen opus est ad aedificandam ecclesiam. Inde etiam liquet, cur glossolalia infidelibus fructum ferre non potuerit (*οὐδ' οὕτως εἰςακούσονταί μου* v. 22) : spiritus a mente, quae semper extra progreditur, separatus (v. 14) infidelem capere et convincere non potest, solum *σημεῖον* ipsi est (v. 22), cujus tamen sensum non intelligit, quum ne verbum quidem illud propheticum, glossolaliam pronuncians, noverit. Illustratur res nobis obscura locis I Cor. 2, 9; II Cor. 12, 2 seqq. quodammodo etiam Rom. 8, 26. Tamen confiteor, me rem nondum ex omni parte perspectam habere, dubitationem enim mihi affert : 1) quod v. 21 citatur Jes. 28, 11. 12 : *ἐν ἑτερογλώσσαις λαλεῖν*; 2) quod *γλωσσολαλοῦντος* verba interpretandi alienus habeat facultatem (26—28), quum Paulus ipse legem pronuntiaverit : *οὐδεὶς οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ* (I Cor. 2, 11). Hoc certe extra dubium positum est, spiritus efficientiam perstare in *contemplatione* quadam *interna* (mystisch), quae procul est ab actione *mentis* externa.

Quoniam igitur in spiritu actiones *intelligendi, sentiendi* et *volendi* semper unione quadam conjuncta sunt, *πνεῦμα* principium etiam *sensuum* et *affectuum* est (*τὸ θυμικόν* Platonicum, quum sensus et affectus apud Scriptores Sacros pluris aestimentur quam apud Graecos; Gal. 5, 22. 23), reficitur et recreatur, *ἀναπαύεται* (I Cor. 16, 18; II Cor. 7, 13), timet et curat (II Cor. 2, 13 : *οὐκ ἔσχηκα ἄνεσιν τῷ πνεύματι*) *). Itidem principium est fidei (Gal. 5, 5. 22)

---

*) Locus congruens II Cor. 7, 5 habet *οὐδεμίαν ἄνεσιν ἔσχεν ἡ σάρξ μου*, quae verborum differentia verbis sequentibus *ἔξωθεν μάχαι, ἔσωθεν φόβοι* illustratur, timoribus enim *πνεῦμα*, pugnis *σάρξ* affecta est, cfr. Meyerum a. l.

atque spei (Gal. 5, 5). Plerumque autem Paulus has duas affectiones, necnon caritatem, cordis esse vult, quoniam pro studio suo ecclesiam aedificandi potissimum externos earum effectus considerat. De locis quibus *ψυχῇ* affectus primitus atque ex ejus natura ei non convenientes tribuuntur jam §. 3 actum est.

Etiam *voluntatis* spiritus primarius est impulsor, sicut semper aliquid vigoris atque impetus in eo inest (Rom. 12, 11 : *ζέοντες τῷ πνεύματι*), ei propria *δύναμις* (Rom. 1, 3. 4; I Cor. 2, 4; cfr. Eph. 3, 16; 6, 10, ubi de armis spiritus sermo est). A parte ethica pertinet ad ipsum *φρόνημα* (Rom. 8, 6), quod non, sicut *φρόνημα τοῦ νοός* (cfr. §. 17) consideratum consilium est, sed, quae est spiritus natura, appetitus quidam ultro prorumpens, qui, dummodo spiritus non languet (i. e. in statu peccati versatur), in vitam et pacem intenditur, neque ut carnis *φρόνημα* (*ἐπιθυμία*) mortem consequitur. Objicies fortasse, *divini* spiritus illo loco *φρόνημα* a Paulo dici, quippe qui etiam v. 27 ejusdem spiritus *φρόνημα* commemoret, at suadet vocabulum *σάρξ* juxta positum, ut *humanus* spiritus intelligatur, quod non est in difficili, quatenus spiritus humanus et substantia et efficientia simillimus est divino *). *Φρόνημα* autem spiritus non solet suo statu manere, sed, velut omnia, quae ad spiritum pertinent, ab operariis ejus, ut ita dicam, formatur et excolitur, a corde nimirum, quando potius *τὸ φρόνημα* ex intentione sensuque cordis, a mente, quando e judicio acri sequitur.

---

*) Eodem modo spiritus divinus *συναντιλαμβάνεσθαι τῇ ἀσθενείᾳ ἡμῶν* dicitur sc. *σὺν τῷ πνεύματι ἡμῶν* contra carnem pugnante, quo in labore ab illo adjuvatur. — Neque minus refert, quod etiam spiritus regenerati efficiendi rationes ad efficaciam spiritus in universum explicandam adhibuimus, quum utraque ratio analogiam habeat.

§. 7.

De organis spiritus.

Quum spiritus actio ejusmodi sit, ut se in sese ipsum quasi recipiat, duabus instructus est facultatibus (organis) *καρδίᾳ*, corde, *νοΐ*, mente, quibus extra se operari potest, ita ut partim, quae in eo nondum exculta atque explicata sunt, explanentur, partim, quae in ipso continentur, aliis tradantur, partim novae materiae in eum inducantur. At sententia de *mente* vulgaris haec est, mentem propriam esse animae, summam in homine nondum regenerato, loco spiritus, facultatem, simulque spiritus divini, qui fluidi instar hominem denuo spiritu exornet, quasi receptaculum. Sed refutatur jam eo, quod spiritus etiam in homine nondum regenerato inest, et in eo intimo *ἀνακαίνωσις* a spiritu divino efficitur (Eph. 4, 23), tum quod in corde quoque statuitur esse ejus efficacia (Rom. 5, 5; 8, 27), immo in cor mittitur (II Cor. 1, 22; Gal. 4, 6; cfr. Eph. 3, 17; Usteri pag. 414). Qua de re vide quae §. 15 disputabimus. *Νοῦν* autem Paulinum organum esse non animae sed spiritus evidentissimum est. Nam 1) *ψυχή* veluti natura animalis nullam communionem habet cum rebus spiritualibus. 2) Saepe ad *τὸν νοῦν* status et operas, quae alias *τοῦ πνεύματος* esse dicuntur, relata invenimus. Irregeneratus Deo servit *νοΐ* (Rom. 7, 25), regeneratus *πνεύματι* (1, 9) *), spiritualis habet *τὸν νοῦν* Christi (I Cor. 2, 16[b]), ubi nemo facile desideraverit vocabulum *ψυχῆς*, at vocem *πνεύματος*, sensu paullum mutato, ponere posses. Quin etiam I Cor. 14, 14

---

*) Paulus voce *νοός* utitur, non quo, quod Tijssenus pag. 258 censet, se non de Christianis loqui apertius ostendat, sed quia in infidelibus *πνεῦμα* non efficax est (§. 8).

conditio mentis superior quam spiritus statuitur, quippe quae sine hoc cogitari non possit. 3) Deo ipsi *νοῦς* tribuitur (Rom. 11, 34; I Cor. 2, 16[a], de quo loco cfr. §. 17 notam), quod, nisi forte ratione illa theosophica atque cabbalistica Delitzschiana *animam Dei* construas, non aliter intelligere potes, quam de *spiritu* divino, quatenus intelligit. 4) *Λογικός* (Rom. 12, 1; cfr. I Petr. 2, 2) quod eundem sensum habet ac *νοερός* comparari monet notionem *πνευματικοῦ* (Eph. 5, 19 cet.). 5) *Νοῦς* vel *λόγος* (*τὸ λογικόν*) in philosophia Graeca eodem modo ac *πνεῦμα* Paulinum *ψυχῇ* tanquam superius quoddam (quin etiam apud Aristotelem bipartitum) opponitur (cfr. §. 16). Quodsi partis spiritualis notio, quam Graeci sibi formaverant, divinae revelationis ope sic augeri et amplificari debebat, ut ex angustiore mentis notione, qua Graeci nil praeter intelligentiam comprehendi volunt, evaderet ille spiritus in libris sacris praedicatus, qui cunctos spiritualis efficientiae modos sibi consociatos habet, si, inquam, *νοῦς* in *πνεῦμα* verti debebat: non alia via ac ratione procedi poterat, quam ut notio *νοός* in notionem *πνεύματος* quasi insereretur vel reciperetur. Quod fuisse consilium Scriptorum Sacrorum inprimis Pauli, etiam ex eo verisimile fit, quod omnes fere Patres ecclesiastici usque ad haeresin Apollinariam vocabulo *νοός* vel *λόγου* cum voce *πνεύματος* sine discrimine utuntur, quod non solum e philosophia Platonica in Patres vim exercente, sed etiam e viva traditione explicandum mihi videtur *). Quae quum ita sint, planum esse puto, apud Paulum, inter animam et spiritum distinguentem, *νοῦν* organum esse alterum non animae sed spiritus, quod

---

*) Patres enim non solum Platonis divisionem commemorant, sed etiam Scr. Sacrae doctrinam, inprimis I Thess. 5, 23 respiciunt (cfr. Clem. Al. Strom. VII, 12. pag. 880.)

nuper etiam Delitzschius bibl. Psychologie pag. 140 seqq. approbavit *).

Pariter et *καρδία* apud Paulum organum spiritus est, non quod Beckius (Umrifs der biblischen Seelenlehre) alii voluerunt, centrum universae vitae spiritualis quatenus cum animali conjuncta sit : haec est potius conditio *πνεύματος* ipsius in vita terrena semper cum corpore conjuncti, cfr. locos, ubi de spiritu in ecclesia tamquam corpore habitante agitur (I Cor. 12, 13). Verisimile jam illud fit ex eo, quod haec duo vocabula *νοός* et *καρδίας*, sicut jam a LXX interpretibus pro uno לֵב usurpantur, diversa effectuum genera unius ejusdemque spiritus significant, et *καρδία* eodem modo ac *νοῦς* de operibus dicitur, quorum causa prima in spiritu est. *Καρδίας* autem notionem ampliorem esse, scilicet eo sensu, ut mentem in se contineat — quod idem Beckius 79 sqq. vult, — jam ob eam causam nego, quod et *νοῦς* per se, non per cor, cum spiritu cohaeret cfr. Eph. 4, 23 *πνεῦμα τοῦ νοός* (cfr. apud Latinos mens animi). *Cor* igitur et *mens*, de quibus infra plura agentur, spiritus organa sunt, quae inter se aequalia eodem numero locoque habentur. Una quasi spiritus actio est et indivisa, sed discedit pro organorum ratione in varia actionum genera, quae inter organa sunt distributa, et ita quidem, ut quum nos tres plerumque facultates animi distinguamus : Gefühl, Vernunft, Wille, Paulus duas tantum habeat : *καρδίαν* sentiendi et *νοῦν* intelligendi organum. Voluntas enim quasi medium quoddam utriusque

*) Mira tantum, et cum ejus ratione theosophica cohaerens, spiritus divisio in tres partes est : *νοῦς*, *λόγος* (quem *λόγον προφορικοῦ* instar esse ait, sed vox in libris sacris ne semel quidem notionis psychologicae est) et *πνεῦμα* angustiore sensu dictum, quod, quomodo a *καρδίᾳ* differat, non intelligo.

particeps est, quia, secundum sententiam biblicam, cum sensus nunquam sine cupiditate et desiderio cogitatur, tum intelligentia dilucida necessarie voluntatem in se continet. Quoniam igitur cor et mens in spiritu quasi fundamento communi inter se conjuncta sunt, saepe evenit, ut alterum ad alterum propius accedat.

§. 8.

De statu spiritus ethico per naturam facto.

Spiritus, quamdiu homo ordinem a Deo ipsi propositum sequitur, sua substantia prima est causa, quae omnia spiritualia efficit et producit, suisque organis et animae et carni imperat, ne haec praevaleat in vita humana (Sinnlichkeit), neve illa, organis spiritus adjuta, commercium cum spiritu habere desinat et sua tantum petens in se ipsa persistat (Selbstsucht). Sed ille potius erat *finis* spiritui in perfecta indifferentia creato propositus, quum homo factus esset εἰς ψυχὴν ζῶσαν (I Cor. 15, 45; — §. 3). Post creationem spiritus sine ullo argumento quasi sola forma et *facultate* tantum aliquid fingendi praedita erat (comparem cum alis papilionis modo e larva exclusi), sed continuo cum spiritu divino commercium habere incipit, a quo corroboratur et alitur, ut organa permoveat. Haec extranea attentant indeque trahunt, quo spiritus augeatur. Itaque in homine omnia concinunt et concordant. Quem quidem statum originalem Paulus, pro ratione sua empirica, non commemorat, attamen, in ejus disciplina de lapsu esse inclusum, jam ostendimus (§. 1). Profecto similis fuit statui fidelium.

Per lapsum omnia in homine inversa sunt. Sed disciplina Paulina hîc valde obscura, impedita et inexplicita est. Quem locum spiritus tenet in homine lapso? Num

prorsus ab homine recedit? an est vanus atque mundanus a rebusque divinis alienus? an ita subactus, segnis, imbecillis est, ut organa sua in imperio habere non possit? Primae sententiae favere videtur, quod irregeneratus *ψυχικός* et *σαρκικός* vocatur, dum regeneratus *πνευματικός*; *πνευματικός* esse is igitur solus praedicatur, qui spiritus divini, novi quasi virium fontis, particeps factus est; neque unquam opus aliquod infidelium ad res divinas ethicasve pertinens spiritui tribuitur, sed semper aut menti aut cordi. At, ut jam supra (§. 1) vidimus, etiam regenerationis nulla ratione habita, spiritus hominis a Paulo commemoratur; parum praeterea verisimile est, dum organa spiritus exstant, eum ipsum deesse. Ii tantum, qui spiritum non tam substantiam quam principium solum, ut hoc verbo utar, statuunt, ita judicare possunt. Alii putant, substantiam spiritus depravatam et obscuratam esse, omnia igitur hominis opera prava ab eo ducenda esse. Quam sententiam ut sustineant, locos illos afferunt, quibus spiritui epitheta prava tribuuntur: Rom. 8, 15: *πνεῦμα δουλείας* (cfr. II Tim. 1, 7 *δειλίας*); 11, 8: *κατανύξεως*· I Cor. 2, 12 *τοῦ κόσμου*; Eph. 2, 2 *τὸ νῦν ἐνεργοῦν*; neque minus analogiam spirituum malorum Eph. 6, 12 *τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις*. Sed Meyero assentior, *πνεῦμα* illis locis de objectivo in infidelibus regnante spiritu *τοῦ ἄρχοντος τοῦ κόσμου* dictum esse, a spiritu humano eodem modo diverso, ac divinus (cfr. *ἐλάβετε* I Cor. 2, 12). Majoris ad illam sententiam momenti Paulinae sunt adhortationes: II Cor. 7, 1 *καθαρίζεσθαι ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος*· I Thess. 5, 23 *τηρεῖσθαι ἀμέμπτως τὸ πνεῦμα*· I Cor. 7, 34 *μεριμνᾷν ἵνα ᾖ ἁγία τῷ σώματι καὶ τῷ πνεύματι.* Sed ex his locis nihil sequitur, nisi spiritus *substantiam* et depravari posse et revera depravatam esse (quod Origenes negavit, substantiam spiritus semper

bonam esse censens). Pravas autem irritationes non e spiritu nasci, eundemque potius in rebus divinis per se omnino otiosum atque segnem esse, jam ex eo manifestum fit, quod hominis infidelis quasi proprietas pronuntiatur, eum non esse *πνευματικόν*. Si enim etiam in irregenerato *πνεῦμα* efficax esset, sed pravo modo, spiritus non privationem, sed corruptionem quasi illius proprietatem desiderares. Cur Paulus quidem loquitur de *ἀσυνέτῳ καρδίᾳ* et *ἀδοκίμῳ νοΐ*, nunquam de tali *πνεύματι*? Spiritus humanus, nisi cum Deo arcte conjunctus est et cum eo communicationem habet, per se efficax esse non potest. In irregenerato igitur *πνεῦμα*, quod ejus substantiam attinet, depravatum, in agendo omnino otiosum est.

Sed amplius de hoc spiritus statu agamus! Peccatum vocatur *ἔχθρα εἰς θεόν* (Rom. 8, 7); peccator *ἐχθρὸς θεοῦ* (5, 10). Quum igitur communicatio humani spiritus cum divino, unde tamquam e fonte omnia ad ipsum augendum necessaria haurire debuit, interrupta sit — *ὁ ψυχικὸς οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ* I Cor.2, 14 — simulatque ejus affluentiae desinunt, ipse arescit, nihil fere nisi umbra est *). Itaque, quum ipse sine vigore sit, organa sua implere imperioque tenere non potest, quae, communi illo fonte amisso, inter se solvuntur (I Cor. 8, 1 et saepius alibi) et carnis imperio capiuntur. Homo sub peccato venundatus (*πεπραμένος*) est (Rom. 7, 14), non amplius, quod erat propositum, *κατὰ πνεῦμα*, sed *κατὰ σάρκα* ambulat (8, 4; quod, quum haec sit conditio hominis ante redemptionem

---

*) Sine dubio Paulus statum ante Christum mortuorum ad umbrarum instar cogitavit, sicut V. T. רְפָאִים; per Christum tandem *πνεύματα* hominum cum divino conjungentem, ea corroborata et corpore spirituali ornata permanent (cfr. §. 9).

vulgaris, idem est ac κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖν, I Cor. 3, 3), ἐν σαρκί est (Rom. 8, 9), εἰς σάρκα seminat (Gal. 6, 8), desinitque πνευματικός esse, et fit ψυχικός vel σαρκικός (cfr. §. 3). Itaque illud ψυχικοὶ πνεῦμα μὴ ἔχοντες (Jud. 19) sententiae Paulinae non repugnat, quum negatio μὴ non sit absoluta, sed ex aliqua relatione facta. Organa spiritus, postquam ab ipso se separaverunt, originis quidem atque necessitudinis non statim omnino obliviscuntur (cfr. §§. 14 et 18), sunt tamen, spiritus auxilio destituta, imbeciliora quam quae aliquid efficere possint. Cujus tandem status finis est ὁ θάνατος et *corporalis* et *ethicus* et *aeternus* *). *Corpus* morte opprimitur, quia homo, si a ceteris ejus partibus spiritus recessit, quum εἰς ψυχὴν ζῶσαν tantum creatus sit, πνευματικός fieri et σῶμα πνευματικόν adipisci nequit. Quod certe ipsi principio propositum postea ad irritum cecidit; verum emergit aliqua ejus memoria in illo desiderio, quo Paulus ἐπενδύσασθαι potius, quam ἐκδύσασθαι cupit, ἵνα καταποθῇ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς (II Cor. 5, 4). *Mors ethica*, i. e. ille spiritus habitus, quo is efficacitate caret, desinit tandem in *mortem aeternam*, quae est mors ethica quasi prorecta, quam ob rem Paulus facete : ἐκ θανάτου εἰς θάνατον h. e. a morte ethica ad aeternam (II Cor. 2, 16). Cave autem inde concludas, spiritum *substantia* sua perdi posse; ubi semel existit, evanescere nequit.

Imbecilli vero et confecti spiritus sanatio oportet intus in ipso fiat (Eph. 4, 23); non ab organis spiritus efficitur, quamvis ea quasdam leges divinas complectantur (cfr.

---

*) Haec tria mortes genera ita inter se sunt connexa, ut interdum non accurate distinguantur, sed unius commemoratio sensim transeat ad alterum, quod idem usu venit, quando ὁ νόμος τοῦ νοός et ὁ νόμος Μωύσεως juxta ponuntur (Rom. 7 et 8).

§§. 14 et 18), neque a lege proficiscitur, quam Judaeis extraneam Deus dedit. Quae quum sit voluntas divina verbis expressa ideoque vere *πνευματική*, quid mirum quod a nullo homine impleri potest, nisi qui sit spiritualis (I Cor. 2, 16)? Animali enim homini nihil est nisi *γράμμα*, quod ad ea quae vocabulo late patente *σαρκός* comprehenduntur pertinet (quam ob rem apud Paulum [Rom. 4, 1. 2] sibi invicem respondent *ἐξ ἔργων* (*νόμου*) et *κατὰ σάρκα*), pariterque spiritui et humano et divino opponitur. Humanum intellige Rom. 2, 29 : *περιτομὴ καρδίας ἐν πνεύματι οὐ γράμματι*, ubi Meyerus circumcisionem cordis in spiritu humano fieri per se intelligi censet, qua de re divinum interpretatus est. At hoc utique per se non intelligitur : Judaei enim circumcisionem cordis non in spiritu intimo, sed operibus externis consequi studebant, *ἔργοις τοῦ νόμου*. Hoc potius per se intelligitur, illam cordis circumcisionem internam in hodierno hominis statu non nisi spiritu divino communicato, fieri posse, quo *παλαιότης γράμματος* aboletur et *καινότης πνεύματος* instituitur (II Cor. 3, 6—8) *).

§. 9.

De spiritu humano divini communicatione restituto.

Lex igitur, quamquam divina est et spiritualis, hominem redimere et sanctificare non potuit (Rom. 8, 2; cfr. II Cor. 3, 6); renovatio enim et corroboratio spiritus non aliter fieri potest, nisi rursus cum divino conjungatur, unde novam vitam hauriat viresque ad organa refragantia refrenanda et ad carnem protervam subigendam (Eph. 4,

---

*) Hoc loco de spiritu sancto agi videtur, sed quod v. 8 proverbii instar dictum est : *τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτέννει, τὸ δε πνεῦμα ζωοποιεῖ* etiam de humano valet.

23). Resartum est illud vinculum *καταλλαγῇ*, quae *προςαγωγὴν πρὸς τὸν πατέρα* recludit (Eph. 2, 18; 3, 12), cujusque auctor est Deus (II Cor. 5, 18), medium autem *τὸ ἱλαστήριον* Christi (Rom. 3, 25), quod non potest non idoneum esse vel non sufficere, quum Christus a principio factus sit *εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν* (I Cor. 15, 45; cfr. II Cor. 3, 17). Hoc *πνεῦμα* Christi *ζωοποιοῦν*, a divino quidem distinctum, sed, quia ipse est *υἱὸς τοῦ θεοῦ*, non diversum (Rom. 8, 9; II Cor. 3, 17; Phil. 1, 19), domicilium habet, ex quo *ἡ καινὴ διαθήκη τοῦ πνεύματος* constituta est, in ecclesia, quae hanc ob causam *ναός* vel *σῶμα τοῦ Χριστοῦ* vocatur (Eph. 2, 20. 21; 4, 3. 4 cet.). In quo igitur homine Christus habitat, etiam spiritus divinus inest. Hic a Deo ipso distinguitur (I Cor. 2, 11), sed, ut recentium philosophorum verbo utar, non *ontologice*, verum, sicut spiritus hominis homo ipse est a spirituali parte, ita et spiritus divinus a Deo, qui totus *πνεῦμα* est, non diversus, sed idem, quatenus principium cognoscendi et intelligendi est (cfr. praeter interpretes, Kling. biblisch-theol. Erörterungen über die Korintherbriefe, Stud. und Krit. 1839 pag. 431) *). Inter *τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ θεοῦ* (v. 12) et *πνεῦμα τοῦ θεοῦ* (v. 11) ita distinctum est, ut inter *λόγον προφορικόν* et *λόγον ἐνδιαθετόν*.

Expiatione Dei facta, spiritus divinus ab homine *per πίστιν* recipitur (Gal. 3, 5. 14; Eph. 1, 13). Sunt autem loci, quibus *πνεῦμα θεοῦ* prius esse statuitur, *et ex eo fidem sequi*, e. gr. *πνεῦμα τῆς πίστεως* (II Cor. 4, 13)

---

*) Caveas notiones psychologicas de Deo praedicatas eodem modo intelligas, quo de homine. In Deo enim qui totus *πνεῦμα* est, nisi *κατ' ἄνθρωπον* sermo est, distingui non potest inter *πνεῦμα* ejusque organa (I Cor. 2, 16[a]; Rom. 11, 34), sed omnia in illo ratione perfecta atque absoluta conjuncta sunt.

non est, ut Usteri pag. 409 interpretatur, spiritus, cujus auctor est fides, sed qui fidei est dator. Consimiliter etiam *υἱοθεσία*, cum fide arcte cohaerens, et spiritus divini communicatione efficitur (Rom. 8, 15), et eam praecedit (Gal. 4, 6). Bene hanc loquendi varietatem explicavit Flacius, a Bengelio (ad Gal. 3, 14) citatus, dicens: „spiritus ab extra in nobis excitat aliquam scintillam fidei, apprehendentem Christum et etiam ipsum spiritum, ut intra nos habitet.“ Primum igitur spiritus humanus a divino extrinsecus tactus se recludit, ut eum intromittat, id quod initium fidei est; postquam autem intromissum in se recepit, fide augetur et confirmatur, fides vero aucta et confirmata (I Thess. 3, 10; II Thess. 1, 3) magis magisque allicit quasi spiritum divinum, ut uberiora largiatur. In hunc sensum de communicatione spiritus, quae ante absolutam fidelium perfectionem non cessat, Paulus disputat, itaque loquitur *ἀπαρχὴν πνεύματος* (e. g. Rom. 8, 23), in quo interpretando non audiendi sunt Koellnerus, de Wette aliique, sed cum Calvino aliis redeundum est ad patres, qui illud primam spiritus missionen esse ajunt (Oecum. *ἀρχήν τινα μικρὰν καὶ γεῦσιν τοῦ πνεύματος*. Chrysost.: *διὰ τῆς ἀπαρχῆς ἐσημείωσεν ὡς ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι πολλαπλασίαν τὴν τοῦ πνεύματος δεξόμεθα χάριν*, cfr. etiam Theophyl.), atque in eo dumtaxat errant, quod uberiorem et perfectiorem spiritus communicationem saeculis demum praeterlapsis fore opinantur. Similiter illud *ἀῤῥαβὼν τοῦ πνεύματος* indicat, spiritum divinum gradatim tribui, plenissime quidem in consummatione (II Cor. 1, 22; 5, 5) *).

---

*) Hanc esse doctrinam Paulinam demonstrat etiam Gal. 3, 5, ubi Galatis jam fidelibus divinoque spiritu ornatis spiritum *adhuc* tribui et effici Paulus dicit, nam *ἐπιχορηγῶν* et *ἐνεργῶν* ibi sunt participia praesentis.

Receptaculum spiritus divini humanus *ipse et per se* est, non ejus organa, nec *νοῦς* nec *καρδία*, quum mystica spiritus communicatio neque commentationis via procedat, neque cordis sensu ad opera factitanda habili ordinetur, renovatio potius hominis oporteat ab interna spiritus restauratione incipiatur (Eph. 4, 23 : *ἀνανεοῦσθαι τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς ὑμῶν*, ubi Meyerus verum vidit, sed Rückertus contorte *πνεῦμα* partem (!) *τοῦ νοός* esse censuit). Neque refutatur haec mea opinio illis locis, quibus *καρδία* tum *πνεύματος ἁγίου* tum *πίστεως* particeps fieri dicitur (Rom. 5, 5; 8, 27 cett. — cfr. §. 15).

Sancti spiritus ope humanus in conditionem quam Deus ab initio voluit justam restituitur, ut illud *ψυχὴν* esse *ζῶσαν* de Adamo dictum jam cadat quidem in hominem, sed mutato sensu; licet enim is non continuo *πνεῦμα* fiat (quod consummato demum, ubi corpus *πνευματικόν* nactus fuerit, continget), tamen *πνευματικός* est (I Cor. 2, 15; 3, 1; 14, 37). Recuperat spiritus potestatem carnis, ita ut in organa penitus penetret eaque quoquoversus regat; tum homo *κατὰ πνεῦμα* (i. e. proprium, attamen spiritu divino regeneratum) ambulat (Rom. 8, 4. 5), *πράξεις τοῦ σώματος* deleri (*θανατοῦσθαι*) possunt (8, 13), et *ἐπιθυμίαι τῆς σαρκὸς* irritae sunt (Gal. 5, 16. 17). Hic est status *τῆς δικαιοσύνης* et *τοῦ ἁγιασμοῦ* (Rom. 6, 19. 22 et saepe), Christiani *ἅγιοι* sunt (Rom. 1, 7 cett.), quod noli ita interpretari, quasi liberati essent ab omnibus carnis irritationibus; neque enim desinunt *πνεῦμα* et *σάρξ* inter se certare, quemadmodum etiam infidelium *νοῦς* et *σάρξ* (§. 18), hoc tamen eventus discrimine, quod *νοῦς* a spiritu suo avulsus succumbit, spiritus vero a divino intus inhabitante corroboratus vincit (Rom. 8, 2; Gal. 5, 18). Trahuntur igitur illa certamina, praesertim quum hoc aevo *ἀπαρχή* tantum *τοῦ πνεύματος* detur; quapropter fieri potest, ut

gratia iterum amissa spiritus divinus hominem vel in tempus vel in perpetuum deserat, et, quoniam tum spiritus humanus relanguescit, coepta a spiritu a carne conficiantur (Gal. 3, 3). Quam ob causam Paulus cohortatur : *εἰ ζῶμεν πνεύματι, πνεύματι καὶ στοιχῶμεν* (5, 25). Spiritu in efficacitatem revocato, *mors ethica in Christianis abolita est*, et cum ea *mors aeterna*. Sed etiam *mors animalis*, quamquam non sic sublata est, ut *καταποθῇ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς* (II Cor. 5, 4), quoniam *πνεῦμα* bello cum carne jugi implicatum corpus in *πνευματικόν* transformare non potest, alio tamen sensu *κατεπόθη εἰς νῖκος* (I Cor. 15, 54); homines enim fideles necessitudine cum Christo conjuncti ac spiritu sancto instructi jam idonei sunt, qui a Deo, iterata quasi creatione, non tam in vitam revocentur (vita enim *πνεύματος* metaphysica etiam apud infideles post mortem restat, sed umbrarum instar, §. 8 not., dum fidelium status etiam ante resurrectionem corporis viget), quam *corpore spirituali induatur*. Paulus autem non novit resurrectionem, nisi quae in Christo fit (Rom. 8, 11 *); I Cor. 15, 21. 22 ubi *ζωοποιεῖσθαι* non ad immortalitatem spirituum, sed ad resurrectionem corporum referas; 23. 45. 47). Nec potuit unquam **), quae sua erat corporis spiritualis notio, existimare, ejus malos quoque participes

---

*) Testibus paribus, cum Meyero contra Elz., Lachm., Tischend., legendum est *διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα*, non *διὰ τοῦ* etc., quum in controversia Macedoniana ab orthodoxis in gratiam suam accusativum in genitivum mutatum esse verisimile sit, neque unquam sententia *per* spiritum divinum mortuos resurgere apud Paulum reperiatur cfr. Rom. 8, 11[a]; 4, 24; 6, 4; 10, 9; I Cor. 6, 14; 15, 15; II Cor. 1, 9; 4, 14 (ubi resurrectio per Christum fit); Gal. 1, 1; Eph. 1, 20; Col. 2, 12; I Thess. 1, 10.

**) Quare sermo Pauli qualis Act. 24, 15 exstat : *ἀνάστασιν μέλλειν ἔσεσθαι δικαίων τε καὶ ἀδίκων* non ab ipso *ita* habitus videtur.

fore. Noli tamen idcirco illud *πάντες ζωοποιηθήσονται* (v. 22) interpretatione tua extenuare, omnes reapse dicit Paulus, quoniam mens sua, memoria a Christo factae redemptionis et relatae ex inimicis victoriae elata, altissima quaeque illo loco petit, donec in spe *τῆς ἀποκαταστάσεως τῶν πάντων* acquiescit.

Mutata autem, ut diximus, natura spiritus non potest *efficientiam* suam non iterare. Quae universa uno verbo *πίστεως* comprehenditur, quam vidimus a spiritu divino extrinsecus excitari, intus autem augeri. Quemadmodum enim spiritus organa in ipso tamquam communi radice connexa sunt : sic omnium vitae spiritualis generum, sensus intellectusque et voluntas, communitas est fides.

Itaque fides neque solus sensus, neque intellectus, neque voluntas est, sed haec omnia unâ, ut eam dicere liceat esse principium *totius vitae novae in Deo fundato*, quae, quamvis priori ante lapsum affinis, apprehendi tamen non potest nisi merito Christi morte sua *καταλλαγὴν* efficientis. Fide posita principia omnium *πνευματικῶν* *) exstant, nam per illam omnes propriëtates spiritus

---

*) Adjectivum *πνευματικός* praedicatur I) *de angelis* corpore carentibus (Eph. VI, 12, hîc quidem malis). II) *de personis* in quibus *πνεῦμα* per divinum iterum efficax factum est : a) de regeneratis generaliter (I Cor. 2, 15; Gal. 6, 1 opp. *ψυχικῷ*, *σαρκίνῳ*, *σαρκικῷ*). b) de regeneratis jam progressis, quibus non solum *γάλα* sed etiam *βρῶμα* tribui potest, opp. *νηπίῳ*, etiam *σαρκικῷ*, quum *σάρξ* nondum prorsus devicta sit (I Cor. 3, 1); a) de iis qui *πνευματικὰ χαρίσματα* i. e. dona illa insignia, quae in primaeva ecclesia florebant, habent (I Cor. 14, 37). III) *de rebus* a) *σῶμα πνευματικῷ*, opp. *φυχικῷ* (I Cor. 15, 44), quod non cum Origine, teste Oecumenio, explicari potest *ἀερῶδες καὶ αἰθέριον ἤτοι ἐκ τῆς τοῦ ἀέρος καὶ τοῦ αἴθερος οὐσίας* (hoc enim sensu naturali verbum apud Paulum non reperitur), sed cum Photio : *ὅτι οὔκετι τοῖς ψυχικοῖς ὑπηρετήσει παθήμασιν* 42. 43 cfr. 47; quod Theodoretus interpretatur : *σῶμα ὑπὸ τοῦ πνεύματος οἰκονούμενον* non satis explicate dictum est; b) *πνευματικά* dicuntur res spirituales et divinae

divini in humanum transeunt. Itaque a spiritu divino omnia ducuntur, quae in fide quasi principio latent et corde menteque amplius formantur : *εἰρήνη*, *χάρα* (Rom. 14, 17; I Thess. 1, 6); *ἀγάπη* (Rom. 15, 30), *πραΰτης* (I Cor. 4, 21), *ἐλευθερία* opp. *γράμματι* (II Cor. 3, 17), *δύναμις* (Gal. 3, 5), *ἀποκάλυψις* (I Cor. 2, 10. 11), *σοφία* (Eph. 1, 17; 3, 5), *γνῶσις* (I Cor. 7, 40). Per spiritum cordibus infusum (II Cor. 1, 22; Gal. 4, 6) homo conscientiam amoris divini habet, quae *ἐλπιν* gignit (Rom. 5, 5; Eph. 1, 5); propter communionem cum Christo *τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ* Christiani *υἱοὶ τοῦ θεοῦ* sunt (Rom. 8, 14; Gal. 3, 26; 4, 6), quod, quum Deus *φῶς* sit, eandem significationem habet atque *υἱοὶ φωτός* (I Thess. 5, 5) vel *υἱοὶ ἡμέρας* (ibid.) *).

(non ethico sensu), opp. rebus levioribus, ad victum cultumque pertinentibus (Rom. 15, 27; I Cor. 9, 11); c) *πνευματικὰ* (ethico sensu) sunt res spirituales divinaeque, quae per spiritum humanum a divino rursus restitutum efficiuntur, opp. *α*) *σοφίᾳ ψυχικῇ* (I Cor. 2, 13; Col. 1, 9). *β*) *γράμματι* (Eph. 1, 3; 5, 19; Col. 3, 16). d) *βρῶμα πνευματικόν*, *πόμα πν.*, *πέτρα* I Cor. 10, 3. 4, ubi interpretes, jam Patres (cfr. Suic. thes. s. v.), valde discrepant. Equidem intelligo *βρῶμα* cett. quod habet *sensum* spiritualem, mysticum, allegoricum, non, *naturam* spiritualem.

*) In epistolis ad Timotheum et Titum adj. *πνευματικός* non reperitur, subst. *πνεῦμα* tantum I Tim. 3, 16; 4, 1; II Tim. 1, 7. 14; 4, 22; Tit. 3, 5, cum nonnullis a Paulina loquendi ratione discrepantiis. Quod I Tim. 3, 16 *ἐδικαιώθη* (sc. *ὁ Χριστός*) *ἐν πνεύματι*, dictum est, monemur ut comparetur Rom. 1, 4 *κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης*. — 4, 1 *τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει* neque explicari potest de spiritu divino in auctore vaticinante (sic Hutherus), neque de aliis inspiratis, neque de dictis V. T. vel Christi, neque de animo humano ipso, quum haec omnia accuratius indicari debuissent, sed (sicut Apoc. 2, 7 seqq.; 14, 13: *λέγει τὸ πνεῦμα*) de spiritu divino extra auctorem revelationes ei offerentes (cfr. praesertim *ῥητῶς*; quam diversa est dictio Paulina II Cor. 12, 4 *ἄῤῥητα ῥήματα*!). — II Tim. 1, 7. *πνεῦμα δειλίας* (hapax leg.) comparari potest (cum de Wette) *πνεύματι δουλείας* Rom. 8, 15. — Tit. 3, 5, ubi baptisma vocatur *λουτρὸν παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως* (quod vocabulum hîc active, Rom. 12, 2 vero passive adhibetur); non dubito, quin Paulus omnem

§. 10.

De charismatis spiritus sancti.

Χάρισμα sc. *τοῦ ϑεοῦ* omne est, quod homini a Deo gratia (*χάριτι*) vel gratuito donatur (Hesychius: *χάρισμα· δῶρον*), i. e., quod non ejus ingenio, sed Deo adjuvante efficitur (Rom. 5, 15: *ἡ δωρέα ἐν χάριτι*; v. 16: *δώρημα*). Summum igitur *χάρισμα* spiritus sanctus ipse est, in quo cetera continentur *). Sed in hunc sensum Paulus illo vocabulo nusquam utitur, utpote qui spiritum semper pro *fonte* habeat, a quo charismata deriventur, ita ut in quavis eorum mentione verba „*τοῦ πνεύματος*" subaudire debeas (I Cor. 12, 4. 7. 8. 9). Charismata *πνευματικά* sunt (Rom. 1, 11) atque ideo simpliciter *τὰ πνευματικά* vocantur (I Cor. 12, 1; 14, 1). Semper ad res spirituales pertinent, praeter illud unum, quod Paulus II Cor. 1, 11 sibi contigisse ait, quum vita sua e periculo extraheretur. Etiam Israelitis charisma spirituale impartitum est (Rom. 11, 23), quod quale fuerit congruis vocibus „*διαϑήκης*" (v. 27) et „*ἐκλογῆς*" (v. 28) satis indicatur. —

Christianorum χαρίσματα esse perhibentur primum a) *generalia*, quatenus omnibus esse sumitur, in quibus spiritus sanctus operans ipsorum spiritum recenti vita perfundit. *Εἰς τοὺς πολλοὺς*, inquit Paulus, *ἐπερίσσευσεν* (Rom. 5, 15), quo quidem loco charisma *δικαιοσύνη* (v. 17)

---

vim regenerationis in fide ponens, eam quasi propriam causam efficientem non omisisset, ut Gal. 3, 27 cfr. 26.

*) Hoc sensu exstat Act. 2, 38; 10, 45 *δωρέα τοῦ ἁγίου πνεύματος*, *τὸ πνεῦμα* enim ipsum *ἡ δωρέα* est.

**) Ad hunc locum scholion apud Matthaei male docet: *ἤτοι τῶν ἁπλῶς ὑπὸ πνεύματος ἐνεργουμένων, εἴτε πονηροῦ* (?) *εἴτε ἀγαθοῦ*.

est, quae εἰς δικαίωμα ducit (v. 16). In charismatis est *vita aeterna*, quemadmodum enim ὀψώνια (Suidas interpretatur χαρίσματα) τῆς ἁμαρτίας mors est, sic χάρισμα τοῦ θεοῦ ζωὴ αἰώνιος (Rom. 6, 23). Alio vero loco (I Cor. 1, 7; cfr. 5) *intelligentia* potissimum in eorum numero habetur, sed ea, quae ethico habitu non plane sit exuta (cfr. v. 8; II Cor. 8, 7; ubi non, ut quidam falso opinati sunt, de donis extraordinariis agitur). Nec minus facultas *vitam* eatenus varie *ordinandi*, quatenus ejus ordo non ab ethicis praeceptis dependet (I Cor. 7, 7). Hoc certe loco Paulus sibi charisma abstinentiae vindicat, alii aliud concedens, nimirum facultatem uxore christiana utendi. Sic recte de Wette; perperam autem Meyerus *naturalem* aliquam facultatem, quae *extra* ecclesiam quoque obtingat, hîc propter verba anticedentia „πάντας τοὺς ἀνθρώπους" intelligendam esse judicat. Quid? quod Paulus omnia Christo mediatore sibi data esse praedicat, num ergo abstinentiam excepit? Eam omnium hominum *fieri posse*, ne breviter quidem indicat, sed *se id velle*, quoniam cuique cupiat, ut Christianus fiat. Jam vero ex loco modo tractato hoc quoque patet, *non* omnibus *parem* eorundem charismatum generalium modum obtingere, quapropter Paulus (Rom. 1, 11. 12) Christianis Romanis se daturum petiturumque vicissim charismata annuntiat. Quod idem etiam in charismatis specialibus valet. Nexa autem est haec modi diversitas tum e varietate naturae humanae animorumque indolis, tum ex eo, quod spiritus sanctus haud quaquam sine discrimine largitur et operatur. Paulus quidem hanc tantum causam exhibet; tota enim ecclesia primaeva, quod jam a multis monitum est, non plane distinxit inter res naturales et supernaturales *).

---

*) Just. Mart. (dial. cum Tryph. pag. 258. Col.) docet singula charismata secundum dignitatem ethicam distribui : οἱ χριστιανοὶ, inquit,

b) *Specialia charismata* sunt dona extraordinaria singulis fidelibus data, ut hi prae omnibus idonei reddantur, qui certa quaedam in ecclesia negotia gerant, procurentque res quasdam singulares. Neque vero sunt prodigiosa, sed potius facultates alioquin satis notae, in fide positae, eaeque tamen mirum in modum auctae. A generalibus non tam naturae, quam gradus et dignitatis discrimine differunt, quam ob rem facile fieri potuit, ut Rom. 12, 6—8 specialibus, in quibus *προφητεία*, *διακονία*, *διδασκαλία* est, generalia admiscerentur (nimirum dona *παρακλήσεως* *), *μεταδόσεως*, *προστάσεως*, *ἐλέου*), vel quorundam charismatum omnibus fidelibus communium majore copia singuli exornarentur, e. g. *πίστεως*, *λόγου γνώσεως* etc. (I Cor. 12, 9; 13, 2; — 12, 8 cfr. 1, 5). Quamquam in una eademque persona omnia cumulata esse possunt, ut in Paulo **) (I Cor. 14, 6. 15. 18. 19; 2, 4; 3, 10; II Cor. 12, 12; Act. 13, 8—11; 14, 8 seqq.), plerumque tamen inter singulos divisa sunt, *διαιρέσεις χαρισμάτων* (I Cor. 12, 4—10); quin etiam superiora Christiani aemulari possunt (v. 31). Itaque et virtute interna et distributione inter se diversa, tamen mutuo se complent et inter se conjuncta sunt, quod principium attinet : *τὸ αὐτὸ πνεῦμα* (12, 8), quod finem : *πρὸς τὸ σύμφερον* (12, 7), *πρὸς τὴν*

λαμβάνουσιν δόματα ἕκαστος, ὡς ἄξιοί εἰσιν, φωτιζόμενοι διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ· ὁ μὲν γάρ λαμβάνει συνέσεως πνεῦμα, ὁ δέ βουλῆς etc. Hoc non prorsus idem est, ac si Paulus spiritualia aemulari monet (I Cor. 14, 1; cfr. 12, 31).

*) *Παράκλησιν* quoque donis generalibus attribuo, quum *παράκλησις* quae Act. 13, 15 exhibetur, jam in *διδασκαλίᾳ* lateat (contra Meyerum).

**) Nihilominus Paulus se ipse *ἰδιώτην* esse *λόγῳ*, etiamsi non *γνώσει* II Cor. 11, 6 profitetur, ubi non tam disciplinam rhetoricam, qua Paulus caruerit, intelligo, quam ubertatem copiamque rerum novarum, quae sermone non plane satisque exponi poterat.

οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας (14, 12). Non exstat locus, ubi omnia charismata unâ posita sint. Enumeratio plenissima occurrit I Cor 12, 8—10 : *λόγος σοφίας*, *λόγος γνώσεως*, *πίστις*, *χαρίσματα ἰαμάτων*, *ἐνεργήματα δυνάμεων*, *προφητεία*, *διάκρισις πνευμάτων*, *γένη γλωσσῶν*, *διερμήνεια γλωσσῶν*, ubi *χαρίσματα* ad ecclesiam *administrandam* idonea, quae v. 28 *τῶν ἀντιλήμψεων* et *κυβερνήσεων* designantur, et fortasse Rom. 12, 7 verbo *διακονία* comprehenduntur, neque minus *ἀπόστολοι* et *διδάσκαλοι* desunt, quorum tamen, praesertim *διδασκάλων*, facultas contineri videtur verbis *λόγος σοφίας* et *λόγος γνώσεως*, quum *γνῶσις* eodem modo propria sit *διδαχῇ*, atque *ἀποκάλυψις προφητείᾳ* (I Cor. 14, 6).

Jam multi *χαρίσματα*, inprimis quae I Cor. 12, 8—10 reperiuntur, dividere conati sunt, aut ratione logica, aut psychologica, aut deinde utraque conjuncta (sic Neanderus). Nostrum est, ostendere, quomodo et quibus hominis partibus singula efficiantur, quare *psychologice* dividamus! Sed non licet, notionibus psychologicis hodiernis uti (quod Klingius pag. 482 fecit, quum notionibus Vernunft, Wille, Phantasie, Verstand utatur); utamur potius Paulinis ipsis, *πνεῦμα* dico ejusque organa. In spiritu ipso id necessario charisma positum est, quod fundamentum quasi ceteris subjicit : *πίστις*, quam intelligi oportet de fide salvifica usque ad eum gradum aucta, ut non solum in gratiae sed etiam in naturae regno effectus conspicuos habeat (cfr. 13, 2). Pariter etiam *τὰ γένη γλωσσῶν* (cfr. 14, 14) de quibus jam §. 6 disputavimus *). Difficilius est reliqua

---


*) Quod *νοῦς* in glossolalia *ἄκαρπος* vocatur, non de proprio fructu, sed de eo, quem ecclesiae offert, dictum est, id quod e toto connexu apparet. Neque verum quidem illud esset, quum quoties *πνεῦμα* afficitur vel aliquid agit, etiam *νοῦς* quodammodo movetur, ut aliquem sibi fructum consequatur.

ita distinctu, ut quaecunque dubitatio absit, quum saepe mentis et cordis agendi rationes inter se collidant. Mentis sine dubio proprius est *λόγος γνώσεως* et *λόγος σοφίας* (de quorum discrimine cfr. §. 19), *διερμήνεια γλωσσῶν*, ut per quam glossolaliae *νοῦς* interpretans accedit (14, 13. 14); pariter et *διάκρισις πνευμάτων*, quae est facultas *τοῦ πάντα δοκιμάζειν* (I Thess. 5, 21) omnibus expetenda ad eum gradum aucta, ut non quisque eo provehi possit. In corde solo latent *χαρίσματα ἰαμάτων* et *ἐνεργήματα δυνάμεων*, si quidem *πίστις*, quae spiritu nascitur, simulac se foras exserit, corde recipitur, a qua illa proficiscuntur; quod etiam ex eo planum fit, quod illa sanationum charismata a voluntate originem ducunt, quae si a sensu gignitur, in corde exoritur. *Προφητείας* et *τὸ εἰδέναι τὰ μυστήρια* esse invenimus et *τὴν γνῶσιν* (I Cor. 13, 2). Haec sine dubio mentis opus est, illud autem non; efficitur potius per *ἀποκάλυψιν*, quae et ipsa ad *προφητείαν* refertur (14, 6). Vix est credibile, revelationem cuiquam obtingere posse, nisi qui ecstaticus sit et quadamtenus furiosus, sic paene affectus, ut homo *γλώσσαις λαλῶν*, qua de causa *πνεῦμα* est sedes revelationis (II Cor. 12) *). Quoniam igitur ad *ἀποκάλυψιν*, quae quidem, si sola valet, glossolaliam parit, *γνῶσιν* accedere oportet, ut prophetia evadat, quippe quum prophetae sit temporum hominumque naturam ac rationem *κατ' ἀναλογίαν* revelationis divinae judicare, id vero — sicut etiam *τὸ ἐλέγχειν* (14, 24) — nisi *γνώσεως* ope fieri nequeat: prophetiam mediam esse inter *γλωσσολαλίαν* et *διδασκαλίαν* jam liquido constat, ac facile est intellectu, cur, si inter *προφητείαν* et

---

*) Alius fuit Pauli status, quum, spiritu non intercedente, revelationes ab ipso Domino praesente accepit.

διδασκαλίαν distinguatur, cum illa *ἀποκάλυψις*, cum hac *γνῶσις* copuletur (I Cor. 14, 6). — *Χαρίσματα* denique quae ad *διακονίαν* generaliter dictam (Rom. 12, 7) pertinent, *ἀντιλήμψεων* (*διακονίας* arctiore sensu) et *κυβερνήσεων* (*πρεσβυτέρων*) e mente cum corde consociata proficisci mihi videntur, quum et intelligentia et cordis firmitas (voluntas) necessaria sit ad ecclesiam administrandam. Forsitan hoc schema rem paullulum illustrabit.



§. 11.

Appendix. De distinguendi ratione utrum πνεῦμα vocabulum divinum an humanum significet.

Quamquam spiritus divinus homini infusus tam subtiliter ab hominis spiritu proprio distinguitur, ut dici possit, illum *συναντιλαμβάνεσθαι* (i. e. cum spiritu nostro) *τῇ ἀσθενείᾳ ἡμῶν* et pro nobis *ὑπερτυγχάνειν* (Rom. 8, 26), pravosque sermones illum contristari (Eph. 4, 30); tamen etiam necessitudo, quam mysticam dicere possis, inter utrumque intercedit, et ea quidem, ut spiritus proprietates divini in humanum transeant —, ut non parum saepe difficile sit inter utrumque certo distinguere atque utrum Paulus voluerit recte interpretari. Quocirca in hoc negotio interpretes multifariam peccant atque arbitrarii etiam canones sunt, quos e. g. Meyerus proposuit, ut *πνεῦμα*,

si vox bonae notionis apposita sit, divinum esse sumamus *), neque unquam ad spiritualem hominis naturam per divinum spiritum restitutam referamus **). Quid? quod ipse Rom. 1, 4 πνεῦμα ἁγιωσύνης *humanum* Christi spiritum esse aestumavit? Neque minus Harlessius errat (ad Eph. pag. 268) statuens πνεῦμα divinum articulo (τό) ornatum esse, humanum vero carere. Equidem haec potius praeceperim, ut ubi appositio vocabulorum θεοῦ vel ἅγιον intermissa sit, ante omnia circumspicias, quid contextus praebeat, maximeque id consideres, utrum recipiendus et effundendus, an reformatus et restitutus spiritus significetur. Has leges secutus tamen non ausim rem ubivis extra dubitationem ponere, saepenumero enim tanta est spiritus restituentis cum restituto similitudo, ut Paulum non satis distincte de alterutro locutum sed de spiritu ejusque natura in universum verba fecisse non possis non conjicere. In his locis, partim jam collatis, spiritus humanus, ut puto, perhibetur: Rom. 1, 4. 9; 2, 29; 8, 2 (ubi Koellnerus veteres quosdam sequens νόμον τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς recte comparat cum νόμῳ τοῦ νοός 7, 23. In regenerato enim hic, per se irritus, in illum prospere adversus peccata pugnantem amplificatus est); 8, 4. 5. 6. 9 (in his locis propter opp. σάρξ). 10 (hîc et Meyerus πνεῦμα interpretatus est humanum, propter opp. σῶμα, quasi non toto contextu de eodem spiritu agatur); 8, 13; 12, 11; I Cor. 2, 4 (secundum receptam interpretationem verba ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως de spiritu divino intelliguntur et genitivus subjective vertitur „so daſs Geist und Kraft

---

*) Cur enim de spiritu humano, divini virtute exstructo, non idem praeclari praedicari possit ac de divino?

**) *Πνεῦμα* sine dubio *spiritus humanus* esse potest, idemque in regenerato per divinum sanctificatus est.

Beweis führten", Meyerus. Hoc recte esse videtur inprimis propter vocabuli *ἀπόδειξις* notionem propriam. Fortasse autem — non enim satis certus sum — e contextu et sapientiae christianae ratione melius ita explicatur : Philosophis ethnicis *λόγους σοφίας*, quum ipsorum spiritus ferietur, *ὁ νοῦς* suppeditat, at Paulus contra ex imo spiritus sui restituti ac vegeti fonte orationem haurit; illi, quod ipsi fatentur, *τὸν νοῦν* agitant, Paulus vero *τὸ πνεῦμα* divitiis coelestibus refertum); 2, 10 (ubi alterum *πνεῦμα* divinum est, alterum vero de spiritu in universum dictum est); 2, 11; 4, 21 (humanum intellige e verbo respondente *ἀγάπης*); 5, 3. 4. 5; 7, 37; 14, 2. 14. 15. 16. 32 (*τὰ πνεύματα τῶν προφητῶν* non ut v. 12 *ζηλωταὶ πνευμάτων* variae *φανερώσεις τοῦ πνεύματος ἁγίου*, sed spiritus prophetarum vaticinantium ipsi sunt; 15, 45; 16, 18; II Cor. 2, 13; 7, 1. 13; Gal. 3, 3; 5, 5. 16. 17. 18. 22. 25; 6, 1. 8. 18; Eph. 4, 3 (*ἡ ἑνότης τοῦ πνεύματος* cfr. Phil. 1, 27 instituitur spiritu divino in ecclesia quasi *ναῷ* inhabitante). 23; 5, 18 (quo loco equidem haesito, attamen propter quod constructio verborum immutata est, humani spiritus malim mentionem factam esse, in hunc sensum : nolite vino inebriari, sed implemini in (*ἐν* locale) spiritu vestro (non in corpore). Rei, qua impleri debent, significatio est omissa, sed facile subintelligitur, nimirum est spiritus divinus, praesertim quum ejus effectus indicetur verbis sequentibus (v. 19) : *λαλοῦντες ἑαυτοῖς ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς*); 6, 17 (*τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος, ὅ ἐστιν ῥῆμα θεοῦ*. Meyerus contra Harlessium et Olshausenum recte genitivum *πνεύματος* subjectivum, itaque aliter ac genitivum appositionis v. 16 et 14 *πίστεως* ac *σωτηρίου* explicat, vertens : das Schwerd, welches der heilige Geist zureicht. Sed in hoc errat, quod id ad spiritum divinum refert, itaque genitivum auctoris esse

statuit. Gladius alicujus, nisi contextus aliud docet, semper gladius est, quo aliquis utitur (genitivus possessivus). Si Paulus constructionem inchoatam continuasset, scribendum erat : *καὶ δέξασθε πνεύματι* (instrum.) *τὴν μάχαιραν τοῦ ῥήματος τοῦ θεοῦ*) ; 6, 18 (Si Meyerus statuit, hîc, ubi *christianorum* tantum officiorum atque *christiani* habitus mentio fiat, per se apertum esse, precationem non solum ore sed in spiritu necessario fieri, responderi potest, non minus Christianorum precationum apertum esse per spiritum sanctum fieri, cfr. etiam 5, 19 : *ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν*). Phil. 1, 27 ; 2, 1 (ubi propter vocem *ἀγάπης* sequentem melius humanus (sp.) intelligitur); 3, 3; Col. 1, 8 (*ἀγάπη ἐν πνεύματι*, quod sensum attinet, idem est atque *ἀγάπη ἀνυπόκριτος* Rom. 12, 9); 2, 5; I Thess. 5, 19. 23; II Thess. 2, 13 (ubi propter vocem sequentem *πίστεως* melius de humano intelligi potest); 2, 2 (Paululum discrepans hîc notio vocabuli *πνεῦμα* est, quum fere idem sit ac nostra vox „Begeisterung“, similiter I Thess. 5, 19).

Cap. III.

Καρδία; **cor.**

§. 12.

De vocabuli notione apud Graecos et in V. et N. Testamento.

In Vetere Testamento לֵב (לֵבָב), sicut ceterae notiones psychologicae, primum habet vim *naturalem*. Ductum a themate לָבַב, cui propinquum est חלב pinguem esse (cfr. graecum *λίπα, ἀλείφω*), significat crassum in interno homine et bruto (Dan. 4, 13) musculum. Quoniam cor fere in medio homine situm est (quare in rebus spiritualibus vo-

cabulum קֶרֶב ejusdem significationis est), etiam de re inanimata dicitur (Ez. 27, 4 seqq.; Jon. 2, 4 בִּלְבַב יַמִּים cfr. Matth. 12, 40, ubi ex illo loco citato locutio *καρδία γῆς* desumpta est, quae quidem non ad *ᾅδην*, sed ad sepulchrum spectat). Quum habeat magnam vim in saguinem, in quo *anima vita*que posita est, significare potest ani*mam* vel *vitam*, eodem modo ac נֶפֶשׁ et רוּחַ (cfr. Gen. 18, 5 : סַעֲדֻ־לֵב; Jud. 19, 5; Ps. 104, 15 cett.), et quoniam motu suo sensus spirituales sive irritat sive indicat, illis vocibus *spirituali* quoque ratione לֵב propinqua est, ita ut domicilium sit totius vitae spiritualis (Prov. 4, 23), ubi sententiae moresque hominis formantur (Ps. 104, 4; Job 36, 13 cett.), ideoque sedes affectuum (Jud. 16, 15; Prov. 13, 12), voluntatis (I Sam. 14, 7; Jes. 63, 4), intelligentiae (Job 34, 10; Jer. 2, 21) *). Quum autem לֵב pro principe sua significatione nihil sit nisi *sedes* vitae sive animalis sive spiritualis : ab illis cognominatis ita disjungitur, ut angustior ipsius notio attineat non ad substantiam spiritus, sed ad efficaciam vel ethicam naturam, eodem modo quo *καρδία* etiam in Novo Testamento et apud Paulum reperitur. Pariter plerumque res se habet, quando illud לֵב in ani*mam* quaeque ad eam attinent tractum reperimus. Aptissimus ad rem illustrandam locus I Sam. 25, 37 est, quo de Nabale apoplexia correpto dicitur וַיָּמָת לִבּוֹ, quamquam decimo demum die post mortem obiit vel *ψυχήν* exspiravit.

Interpretes LXX pro vocabulo לֵב, ubi vim spiritualem habet, plerumque *καρδίαν* reddunt, eaque et sensus et voluntatem et intelligentiam contineri volunt. Saepenumero,

---

*) Animalium corda conscientiae et intelligentiae expertia (Dan. 4, 23) ad summum audaciae sedes esse perhibentur.

siquidem de intelligentia sermo est, etiam verbis „*διάνοια* et *νοῦς*“ utuntur. En jam consuetudinem sermonis, qua לֵב in duas partes, *καρδίαν* et *νοῦν* (*διάνοιαν*), dirimitur!

Καρδία apud omnes praeter Paulum N. Testamenti scriptores easdem notiones spirituales retinuit, atque adeo, quum *νοῦς* et *διάνοια* sensim in desuetudinem abirent (cfr. §. 16), amplificata est *).

Cum hoc hellenistico loquendi usu antiqui conveniunt Graecorum auctores, eo tamen discrimine, quod in illo *καρδία* majoris momenti est, apud hos *ὁ νοῦς*. *Καρδία* (poet. *κραδία*, *κραδίη* cfr. vocem primit. *κέαρ*, constr. *κῆρ*, lat. *cor*) idem valet quod *θύμος*, quocum passim conjungitur (quodque in N. T., si quidem derivata *ὁμοθυμαδόν* Rom. 15, 6; Act. 1, 14 cett.; *ἐνθυμήσεις*, *προθυμία*, quae varias *cordis* actiones significant, praetermittimus, ejusdem fere notionis est atque *ὀργή*). Neque minus interdum conjungitur cum vocibus „*φρήν* et *ψυχή*“ (de quorum usu Homerico cfr. Naegelsbach homerische Theologie pag. 334 seqq.), atque cum his in libris Graecorum ita perhibetur, ut sedes affectuum et voluntatis intelligentiaeque (cfr. *ἄνοος κραδίη*, Il. 21, 441) esse appareat.

§. 13.

De proprietate et efficacia cordis Paulini.

Duo spiritus organa sunt, conjunctius cum eo cor est. Quod spiritus concepit, ex eo primum in cor transit, et per cor tandem ad mentem pergit. Quare aliqua similitudo cordi est cum spiritu, quae vero nunquam ad ejus *sub-*

---

*) Bis de sensu animali exstat, Act. 14, 17; Jac. 5, 5; cfr. Meyerum ad illum et Hutherum ad hunc locum.

stantiam (cfr. §. 12) extenditur; nec tam late patet, ut cor etiam mentis partes obtinere videatur (quod inter alios Beckius quoque voluit). Opponitur igitur quasi internum omnibus quae externa sunt; eodem modo quo *πνεῦμα σώματι* (I Cor. 5, 3) etiam *καρδία προσώπῳ* (I Thess. 2, 17, non sensu ethico) opponitur, hîc pars parti, illic totum toti, hoc discrimine, quod illud praesentiam et conversationem spiritualem *universam* indicat, hoc ad consuetudinem *amoris* tantum spectat. Itaque *ethice* quoque opponitur omnibus operibus externis, omnique simulationi et hypocrysi (II Cor. 5, 12; Rom. 6, 17). Id tantum quod aut in corde *latet* (Eph. 5, 19; Col. 3, 16. 22), aut ex corde *proficiscitur* (Rom. 10, 8 seqq. : *πιστεύειν καρδίᾳ, ὁμολογεῖν στόματι*), aut cum cordis actione *conjunctum* est, ut *γνῶσις* (I Cor. 8, 1), virtutem habet ethicam (cfr. etiam II Cor. 3, 3 : *πλάκες λίθιναι* et *πλάκες σάρκιναι*). Quod in corde est hominum oculos fugit (*κρυπτὰ τῆς καρδίας*, I Cor. 14, 25), et a Deo solo potest probari, explorari, manifestari (*δοκιμάζειν* I Thess. 2, 4; *ἐρευνᾷν* Rom. 8, 2; *φανεροῦν* I Cor. 4, 5), imo *propria mens* totam copiam *) cordis explorare et plane intelligere non potest, quippe quum *definitio sensui nunquam prorsus adaequari* possit (Phil. 4, 7 : *ἡ εἰρήνη τοῦ θεοῦ ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν* **). Similem sensum praebet Eph. 3, 19 *γνῶναι τὴν*

---

*) Pulchre hoc sensu Sir. 42, 18 *καρδία* juxta *ἄβυσσον* ponitur : *ἄβυσσον καὶ καρδίαν ἐξέχνευσε* (sc. *ὁ θεός*).

**) *Εἰρήνη* certe de tota salute a Deo exorta vel potius de ejus sensu laeto (cfr. verbum solemne שָׁלוֹם et *χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ*), de habitu laeto, qualis non solum a Deo proficiscitur, sed etiam in ipso inest, (contra Meyerum) intelligenda est; neque minus etiam verba *ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης* explicanda sunt : Deus beatitudine et fruens et eam communicans, non de pace concordiae (Meyerus), quum, quomodo ex virtutibus v. 7 enumeratis concordia sequatur, perspici non possit, sed ex iis ni-

ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ *), et II Cor. 12, 4 : ἄῤῥητα ῥήματα **), quod quidem de spiritu dictum est.

Primum autem, quo cor cernitur, *sensus* est, et is quidem qui non in semet ipso acquiescit, sed in commercio quodam cum rebus externis versatur, *sensus practicus*, ut ita dicam, qui sui plane conscius longe abest ab illo spiritus mystico. Itaque καρδία ad πνεῦμα propius accedit, unde fit, ut Paulus spiritus effectus, quatenus non intus latent, sed in externis cernuntur, plerumque ad καρδίαν transferat, ut πίστιν (Rom. 10, 9. 10; cfr. §. 15). In corde igitur domicilium est λύπης (Rom. 9, 2), θλίψεωςet συνοχῆς (II Cor. 2, 4), εὐδοκίας (Rom. 10. 1), εἰρήνης (Phil. 4, 7; Col. 3, 15), τοῦ παρακαλεῖσθαι (Col. 2, 2; II Thess. 2, 27) ἀγάπης, in cujus mente hoc notatu dignum est, quod saepenumero non amor, sed homo amatus in corde inesse dicatur (II Cor. 3, 2; 7, 3; Phil. 1, 7). Quemadmodum vero Hebraei voce רַחֲמִים de tenerrimis quibusque affectibus uti solent : sic Paulus etiam saepiuscule καρδίας partes τοῖς σπλάγχνοις dat, quae non amor ipse sunt, ut Tittmannus pag. 68 falso docet, sed sedes aut

---

mirum sensus quidam beatus sequatur, qui amplior est, quam ut mente percipi et hauriri possit.

*) Prius vocabulum γνῶναι (idem atque antecedens καταλαβέσθαι sc. corde v. 18) ad *cordis* scientiam pertinet quae experientia sensuque comparatur, sequens autem γνῶσις scientia *mentis* est, quae cogitando et definiendo efficitur et amorem Christi erga nos non plane capere potest.

**) ἄῤῥητα ῥήματα sunt verba, quae dici non possunt, cui interpretationi Meyerus false opinatur hoc repugnare, quod sequitur ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, quoniam οὐκ ἔξεστι non solum id quod nefas est nobis declarat, sed etiam quod, pro tempore vel pro re nata, per defectionem virium vel auxiliorum fieri prohibitum est (cfr. Matth. 20, 25); prohibitus autem Paulus est, quia verbis audita comprehendi nequeunt.

qualiscunque amoris (II Cor. 6, 12; 7, 15; Phil. 1, 8; 2, 1); aut misericordiae (Col. 3, 12; cfr. Luc. 1, 78), quare *σπλαγχνίζεσθαι* apud Synopticos semper est misericordia commoveri. Nonnunquam *τῶν σπλαγχνῶν* notio tam late patet, ut cordis loco esse videantur (Philem. 7. 20 : *ἀναπαύεται τὰ σπλάγχνα*; cfr. I Cor. 16, 18; II Cor. 7, 13 *πνεῦμα ἀναπαύεται*). Summo amore commotus Onesimum ipsum appellat Paulus *τὰ ἐμὰ σπλάγχνα*, sicut vernaculum „mein Herz!" Philem. 12).

Quum sensibus studium se manifestandi idque quo fruuntur adipiscendi insit, *καρδία* et domicilium est *cupiditatum, studiorum, consiliorum*, uno verbo : in corde propria officina voluntatis est. In ipso sunt *τὰ πάθη* (Rom. 1, 26), *αἱ ἐπιθυμίαι* (1, 24; cfr. Matth. 15, 19), *αἱ βουλαί* (I Cor. 4, 5), *τὸ κρίνειν* (I Cor. 7, 37), quod utrumque, ubi actio cordis non mentis est, non cum Beckio pag. 82 explicari potest „von der schlufs- und beschlufsmäfsigen Form des einheitlich disponirenden und disponirten Gedankens in Urtheilen, *Entschlüssen* und Planen", cogitationes enim logice formatae a mente finguntur (§. 17). Quodsi *cor βούλεσθαι* vel *κρίνειν* dicitur, pertinet id potissimum ad studia et cupiditates ex *sensu* profectas, quae a conscientia non separatae et inter se vinculo quodam interno conjunctae sunt; quod quidem vinculum *non unitas est alicujus principii logici*, sed *potius vitae morumque* (des sittlichen Charakters) *). Ubicunque igitur de

---

*) Etiam *τῷ πνεύματι* et *τῇ σαρκί ἐπιθυμεῖν*, *φρόνημα*, *θέλημα* adscribitur (Gal. 5, 17; Rom. 8, 6; Eph. 2, 23), illi, quia divini generis per naturam suam divina petit, huic, secundum dictionem oxymori, quia natura carnalis, etiamsi cor nondum affectum sit, hominem per *ψυχήν* irritat. Sed tum demum, quum *ἐπιθυμία* in corde habitat, homini ratio reddenda est.

cordis voluntate sermo incidit, ea *sensus* naturam mutuata esse tibi videbitur. *Τὸ προαιρεῖσθαι* e. g. (II Cor. 9, 7; cfr. *αὐθαίρετοι* 8, 3) cujusque amorem sequitur, idcirco fit in corde; in corde nascitur *σπουδή*, i. e. studium ab amore profectum (II Cor. 8, 16); cor causa est *τοῦ ὑπακούειν*, siquidem hoc justum est (Col. 3, 22), et fons omnis constantiae et perseverantiae (I Cor. 7, 37).

Quae studia consiliaque cordis *vitae moribus*que *firmam aliquam et stabilem speciem* afferunt, in corde ipso positam; neque minus haec cordis species in illa studia consiliaque proferenda mutuo aliquam vim exercet. Itaque totus hominis status e cordis qualitate pendet : *quale cor, talis homo.* Cor aut in statu *πωρώσεως*, indurationis versatur, in quo nullo desuper amore affici (Eph. 4, 18; Rom. 11, 7. 25), neque ad poenitentiam commoveri potest (Rom. 2, 5); aut sanctum et mundum est, in statu *περιτομῆς* *), quae imago secretionis ab omni immunditie est, in statu *ἁπλότητος* (Eph. 6, 5; Rom. 12, 8 cet. quod idem est atque *εἰλικρινεία* I Cor. 5, 8 *ἀνυπόκριτος*) et *ἁγιωσύνης* versatur, ideoque *ἄμεμπτος* est (I Thess. 3, 13)**).

Denique *καρδία* etiam ad res *cognoscendas*, *intelligendas* et *sciendas* magnam vim habet, non solum ideo, quod res, quas in se experta est, in *νοῦν* transducit, sed etiam jam per se quodammodo sedes intelligentiae est, sicut et *καρδία* et *θύμος* ipse vehementer excitatus apud *Graecos*

---

*) Opp. *ἀκροβυστία καρδίας*, quod idem est ac *σκληροκαρδία* (cfr. Rom. 2, 5). Sic vertunt LXX עָרְלַת לְבַבְכֶם Deut. 10, 16, ubi Aquila magis ad verbum reddit *ἀκροβυστία τῆς καρδίας*, similiter Jer. 9, 25 : *ἀπερίτμητοι καρδία*.

**) In epistolis ad Tim. et Tit. vocabulum hac modo significatione bis reperitur, semperque cum adjectivo *καθαρά* conjunctum : *ἐκ καθαρᾶς καρδίας* I Tim. 1, 5; II Tim. 2, 22.

de intelligentia usurpantur, neque minus nos dicimus „im Herzen denken, wissen, reden etc.", et Romani vocabulis *cordatus, vecors,* aliisque utuntur. In *versione Alexandrina,* in *apocryphis* et *libris N. T. non Paulinis* sine discrimine de actionibus mentis usurpatur. In *καρδίᾳ* cogitationes et judicia finguntur et logice nectuntur, summaque intelligentia et sapientia ibi domicilium habet (Prov. 2, 2 *παραβάλλειν καρδίαν εἰς σύνεσιν·* Jes. 47, 7 : *οὐκ ἐνόησας ταῦτα ἐν τῇ καρδίᾳ σου·* Hos. 7, 11 : *περιστερὰ ἄνους οὐκ ἔχουσα καρδίαν·* — Sir. 45, 34 *δώῃ ἡμῖν* — sc. *ὁ θεὸς* — *σοφίαν ἐν καρδίαις ἡμῶν·* — Luc. 24, 25 *ἀνόητοι καρδίᾳ·* Joh. 12, 40 *νοεῖν τῇ καρδίᾳ·* Luc. 1, 51 *διάνοια καρδίας*). Paulina autem vocabuli notio non adeo longe lateque patet, subtiliter enim Paulus distinguit inter intelligentiam quae a corde et inter eam, quae a mente proficiscitur; illud dicit, ubi intelligendi, judicandi, sciendi ratio sub specie sentiendi apparet : *cordis scientia et intelligentia omnino experientia parta est*, quam in rebus divinis illa *mentis* ratiocinatio in argumentis posita, indeque manans scientia sequi debet, siquidem justam eam esse velis. Quicquid igitur rerum divinarum a spiritu emittitur, id *cor* in se recipit et *mens* denique conformat, usque dum perfecta *γνῶσις* inde evadat. *Ἄγνοια* cordis igitur etiam *τὴν διάνοιαν* mentis obscurat Eph. 4, 18. Hoc sensu e. g. cognitio (*γνῶναι*) quaedam exstat (i. e. interna experientia), quae attinet ad vim resurrectionis Christi et ad societatem ejus passionis (Phil. 3, 10 cfr. Rom. 6, 6), qua de cognoscendi ratione bene disputavit Hofmannus II, 2. pag. 159. Haec cordis cognitio, quae multis locis Paulinis exstat, semper aliquid efficiens, ac cum quodam ardore, et, si velis, amore conjunctum est, quocum quodammodo *τὸ γνωσθῆναι ὑπὸ θεοῦ* (Gal. 4, 9; I Cor. 8, 3) comparari licet, quod quidem, utpote a spiritu effectum, majorem similitudinem habet

cum illa cognitione (*ἐπίγνωσις*), quam homo ex promissis divinis post saecula obtinebit (§. 19). Sed nisi organa intelligentiae disertis verbis nuncupantur, non parum saepe difficile est distinctu, quam intelligendi rationem Paulus voluerit; plerumque tamen contextus ansam praebet quaestionis solvendae.

Propter intelligentiam *καρδία* oculis instructa esse perhibetur (Eph. 1, 18, ubi Elz. *διάνοιαν* legit contra codd.), quibus e. g. perspicitur *τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ, τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τῆς κληρονομίας αὐτοῦ ἐν τοῖς ἁγίοις κτλ.* Vocem *γνῶναι* hoc loco ad eam quae experientiae via procedat cognitionem pertinere, jam pronomen *τίς*, quod aliquam qualitatem monstrat, satis indicat. Intelligendo *καρδία* illuminatur (II Cor. 4, 6); si vero intelligentia non locum habet, *καρδία* caeca est (4, 4) et obscura (Rom. 1, 21). Inscientia *κάλυμμα* cordis vocatur, quam etiam *πώρωσις νοημάτων* (II Cor. 3, 14) sequitur. Talis *καρδία ἀσύνετος* est (Rom. 1, 21 cfr. Matth. 13, 15; Act. 28, 27). — Etiam dubitationes in corde emergunt (Rom. 10, 6).

§. 14.

De statu cordis ethico per naturam facto.

Τῇ καρδίᾳ sicut *τῷ νοΐ* propositum erat, *πνεύματι* suo quasi communi fundamento semper inhaerere, ab eo impleri et vicissim res externas ei tamquam novam materiam suggerere, in qua versari possit. Sed *καρδία* ab illo se expediens *σαρκί* et *ψυχῇ* se tradidit, ut et *σαρκική* et *ψυχική* facta sit. Quo facto a *ζωῇ τοῦ θεοῦ*, quae tantum per spiritum praebetur, alienata (Eph. 4, 18), servitute carnis oppressa tenetur, cujus *φρόνημα* (Rom. 8, 6) et *ἐπιθυμία* nunc in ea domicilium habent (Rom. 1, 24).

Ex quo tempore homo de carnis studiis operibusque rationem reddere debet. Tota *καρδία* in *ἀκαθαρσίᾳ* versatur. (Rom. 1, 24).

Nondum tamen omni Dei propriaeque originis conscientia est orbata, quum propter originem suam et naturam spiritualem divinamque *τὸ ἔργον τοῦ νόμου* divini *γραπτόν* retinuerit, ita ut homo ipse sibi lex sit (Rom. 2, 14. 15). Hoc vero multum differt ab illa Dei promissione, se legem suam daturum esse in corda gentis suae (Jer. 31, 31 cfr. Jes. 51, 7), quod memoriam affert *καρδίας ἑτέρας* vel *καινῆς* promissae (Ezech. 11, 19; 36, 26), cui, spiritu ad vigorem revocato, facultas legis implendae adjungetur. At in epistola ad Romanos data (2, 14) vocabuli *ἔργον* potestas urgenda est : *singula* opera in cordibus nondum regeneratorum scripta sunt, sed *amore* ii carent, quo omnes legis partes *spiritualiter* inter se conglutinantur. *Τὸ ἔργον τοῦ νόμου* non nisi ut umbra quaedam apparet („eine allgemeine, abstracte Form“, Usteri, Rückertus), itaque ipsum *γράμμα* est. Quamquam igitur singula legis opera ab ethnicis fieri possunt (de vi particulae *ὅταν* cum conj. vide Win. pag. 274, ed. VI), tamen ad conservationem legis perfectam et omnibus numeris absolutam pervenire non possunt *).

Eodem modo etiam *νοῦς*, originis suae naturaeque sibi conscius, contra *νόμον τῆς ἁμαρτίας ἐν τοῖς μέλεσιν*

---

*) Meyerus *ἔθνη* sine articulo scriptum de singulis hominibus, ut nostrum »Heiden«, intelligit, contra et loquendi et vocabuli rationem, quippe quod etiam sine articulo nihil aliud significet, nisi *gentes* ethnicas. Ut ille sensus efficeretur, scribendum erat *τίνες ἐκ τῶν ἐθνῶν,* vel etiam sine articulo. Praeterea articulo non opus est propter sequens participium *τὰ μὴ νόμον ἔχοντα* (cfr. Rom. 9, 30). Tota igitur paganorum gens *τὰ τοῦ νόμου* exercet, quum *ex ejus medio singuli singula* legis opera praestent.

in se habet *τὸν νόμον τοῦ νοός*, sed eundem infirmum, hebetem et frustra in peccatum pugnantem (Rom. 7, 15—24), nam *ὁ νόμος τοῦ πνεύματος* solus *ὁ νόμος τῆς ζωῆς* est (8, 2). Utraque lex et cordis et mentis, quamdiu haec duo peccatis non prorsus obruta sunt, tamdiu peccato repugnat; intercedit tamen hoc discrimen, quod illa sentiendo et cupiendo sese manifestat, haec autem cogitando et judicando. Unâ ambae *τὸν ἔσω ἄνθρωπον*, qui totam legem moralem organis spiritus impressam (das natürliche Sittengesetz) comprehendit, efficiunt. Itaque *errant* et illi qui, inprimis de causis dogmaticis, eum in *regenerato tantum* esse statuunt (Luth., Melanchth., Calv., Philippi, multi), toto contextu repugnante, et illi *qui νοῦν tantum* (propter v. 23 coll. 22) illis verbis denotari putant (Meyerus, Stirmius, Tholuckius, Tijssenus, alii); res potius ita se habet, ut illo versu *altera pars* interioris hominis pro toto posita sit, sicut e contrario Eph. 3, 16, 17 *καρδία* sola in hominis interioris vicem apparet. Pariter I Petr. 3, 4 *κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος* alteram illius partem praebet. Cur prorsus *καρδία*, quae *νόμον* quendam divinum in se complectitur, et per se hominis pars magis interior quam mens est, ab illa notione generali excludatur? Num Paulus totum hominem interiorem, omnemque igitur virtutem exstingui posse putaverit, in dubium devocari potest, sed quibusdam dictis et descriptionibus verisimile fit (Eph. 4, 17; Rom. 1, 28 et saepe). Inde concludi licet, Paulum in paganis gradus aliquos, usque ad modum fere bestiarum, statuisse, qua cum re orationes in Actis superstites bene consentiunt.

Sed redeamus ad gravem locum Rom. 2, 14. 15! Jam opus externum legem aliquam etiam paganis adesse testatur, quae, quum revelata non exstet, non potest esse nisi aliqua interna. Sed quid? Num forte opus illud legis ab ethnicis casu et fortuito efficitur? Non ita! nam

illam legem etiam in ethnico existere extra omnem dubitationem ponitur (*οἵτινες ἐνδείκνυνται*) *συνειδήσει*, *conscientia boni malique*, quae cum opere illo facto eam legem adesse contestatur (*συμμαρτυρούσης*) *). Cor autem conscium fit ejus legis, et *legem* esse et legem *Dei*. *Συνείδησις* **) igitur, haec cordis de illa lege conscientia, non tam est aliqua *facultas* vel organum — ut multi statuerunt — sed cordis quaedam *actio* et ethica et religiosa, sicut mentis *γνῶσις*. Quod autem de universa cordis cognitione diximus, id etiam in *συνείδησιν* cadit : esse ejus principium experientiam, non cogitationem vel considerationem. Mens deinde hanc quoque cognitionem cordis inexplicatam adhuc et incultam excipiens, *λογισμοῖς* suis, critica ratione adhibita, explicat, conscientiaeque judicia et cogitationes se invicem accusantes aut defendentes efficit ***).

Conscientia et praecedens et consequens esse potest; aut enim cor sibi conscium est, quae sit legis in ipso vox, utrum igitur id, quod sibi proponit, bonum sit an malum, aut comparat ipsius habitum ethicum vel facta et dicta cum voluntate Dei, quae illa lege exprimitur. Utraque conscientiae actio, tam praecedens quam consequens, e. g. invenitur I Cor. 8, 7, ubi legimus : *ἡ συνείδησις αὐτῶν*

---

*) Sic recte vim praep. *σύν* in verbo comp. Meyerus explicat contra Koellnerum, Olshausenum multosque illam neglegentes.

**) In Vetere Test. *συνειδήσεως* loco semper exstat לֵב i. e. organum vel sedes pro functione (I Reg. 2, 44; I Sam. 24, 6; II Sam. 24, 10; Job 27, 6, hoc loco Lutherus recte vertit Gewissen). Eccl. 10, 20 versio Alex. non recte interpretatur מַדָּע *συνείδησις*.

***) Mire Meyerus verba *αὐτῶν* et *μεταξὺ ἀλλήλων* juxta aestimans interpretationem hucusque receptam rejecit, ac *μεταξὺ ἀλλήλων* de ethnicis ethnicos modo accusantibus modo defendentibus dictum esse maluit. Saepius, puto, in hoc interpretes errant, quod scriptores contraria nusquam lectori cum *accentu* efferenda permisisse, sed ubique ipsos *scriptione* significasse opinantur.

ἀσθενὴς οὖσα (praecedens) *μολύνεται* (consequens). Perfecta conscientia cum testimonio spiritus sancti in regenerato congruens (Rom. 9, 1) nullo modo a judicio alterius conscientiae aliter formatae pendet (I Cor. 10, 29), tamen propter pacem amoremque, ut ab omnibus recte dijudicetur, petere debet (II Cor. 4, 2; 5, 11).

Jam diu multumque disceptatum est, utrum conscientia errare possit, necne. Apud Paulum distinguendum est inter *νόμον τοῦ θεοῦ* in cordibus scriptum et conscientiam quasi cordis operationem *). Nam ille certe in pravum commutari non potest, quum cujuscunque hominis, nondum prorsus in statu *πωρώσεως* versantis, arbitrio excelsior sit, quam ut ab eo abrogari possit. At carnis dominio, magis magisque aucto et diffuso, reprimi immo fere prorsus deleri potest, unde fit, ut etiam *συνείδησις* ab ipso pendens vim suam efficientiamque perdat et denique prorsus desinat. Quin etiam ut conscientia *λογισμούς* mentis irritat, sic etiam haec vel potius, quae a mente fingitur, *γνῶσις* in illam vim quandam exercet (I Cor. 8, 7), ut, quum *γνῶσις* obscurata vel infirma sit, etiam *συνείδησις* saepe decipiatur, ut legi divinae falsa tribuat, ejusque partem habeat, quae in actione cordis tantum posita sunt. Itaque *ἡ συσείδησις* aut minui, enervari et tacere, aut errare et falsa proferre potest, et cujusque status cordis particeps fit **). Quae igitur

---

*) Ita etiam apud Graecos distinguitur inter *νόμον ἄγραφον* Plat. Rep. VIII, 563, d (*ἄγραφα νόμιμα* Legg. VII, 793, a) cfr. Xen. Mem. 4, 4. 19 etc., et *συνείδησιν*. Sed jam Patres utrumque commiscent (Origenes de princ. III. pag. 299, ed Redep.). Chrysostomus (hom. XIII ad pop. Antioch.), *νόμον φυσικόν* idem esse ac *συνειδός* profitetur. Oecumenius ad Rom. VII, et Theophyl. ad Luc. VI utuntur dictione *νόμος ἔμφυτος*.

**) Beckius pag. 74 conscientiae errores ad *διαλογισμοὺς τοῦ νοός* solius transfert, sed falso. Nam actiones cordis (qualis est conscientia)

absolute vera sunt, *legi divinae* ipsi inhaerent. Nihilominus suae quisque conscientiae, licet ea ἀσθενοῦσα sit, obtemperare debet*) (I Cor. 8, 12; cfr. vv. 8. 7. 10; 10, 28), quum homo conscientiam secutus ob id ipsum se *fidelem* ac *verum* esse testetur (I Cor. 8, 11 seq.; 10, 28 seq.; Rom. 14, 13. 20 seq.). Neque ab aliqua agendi ratione, quam eo usque conscientia comprobavit, sic averti licet, ut ad obsequium ei debitum detractandum sollicitetur; immo *corrigenda est prius cognitio*, ut conscientia aliam rationem praecipiat. Quoniam autem bona conscientia consequens hoc tantum ostendit, hominem *per se fidelem ac verum*, sed nondum, *hominem totum bonum* esse, jam patet, hominem propter conscientiam comprobantem atque consentientem nondum justificatum esse (I Cor. 4, 4).

Lex illa in cordibus conscripta et conscientia Ethnicis cum Judaeis communis est, quibus, quum illa non suffecerit — nam non in spiritu, totius hominis naturae spiritualis quasi fundamento, efficax est —, etiam ὁ νόμος γραπτὸς ἐν πλαξὶν λιθίναις datus est, qui, extra tantum ἐν γράμματι, non ἐν πνεύματι efficax (Rom. 2, 27; 7, 6), sicut etiam illa, hoc quidem efficere potuit, ut singula legis opera fierent, et inprimis verus Deus agnosceretur, sed non hoc, ut peccatum et mors exstirparetur, homoque intrinsecus renovaretur (II Cor. 3, 6). Utriusque igitur legis ratio et natura tam par est, ut ab apostolo saepius discrimen negligatur, et quae de altera dicta sunt, etiam

---

eodem modo ex habitu hominis ethico pendent, atque mentis. *Lex sola divina in cordibus scripta*, quamquam extenuari potest, tamen errore excelsior est.

*) Sic etiam Pauli, quum in legis gratiam ζηλωτής esset, καθαρὰ συνείδησις ἀπὸ προγόνων fuisse dicitur (II Tim. 1, 3), quamquam legis praecepta non recte cognoverat atque observaverat.

de altera valeant (Rom. 7, 1. 2; cfr. 22 seqq.). Itaque cor, quum haec remedia irrita sint, in potestate carnis remanet atque eo pervenire potest, ut, illis nullam omnino vim exercentibus, in statu πωρώσεως (Eph. 4, 18; Rom. 11, 8), et σκληρότητος (Rom. 2, 5 cfr. Hebr. 3, 8) versetur, quod utrumque vocabulum ita distinctum esse videtur, ut illud magis de *statu* cordis pravo, hoc de ejus *actione* usurpatum sit.

Appendix. A conscientiae doctrina *libertatis* humanae consideratio separari non potest. Quum homo, quae Pauli sententia est, neque πνευματικός neque σαρκικός sed εἰς ψυχὴν ζῶσαν factus esset, spiritus organa aut hanc aut illam rationem sequi poterant. De hac libertate, quae *formalis* dicitur, Paulus nusquam copiosius disputat*), attamen eam esse ponit, quum peccatum ex hominis voluntate ducat, neque minus redemptioni corde assentiri nos debere doceat (cfr. Rom. 6, 17 ἐκ καρδίας quod Chrys. recte explicat: *οὐ δὲ γὰρ ἠναγκάσθητε οὐδὲ ἐβιάσθητε, ἀλλ'* ἑκοντες etc.). Etiam ethnico haec libertas non omnino dempta est, nam divina in ipsius animo insculpta lege impulsus et conscientia monitus bona opera singula perpetrare potest (Rom. 2, 10 cfr. 14). Sed ὁ ἔσω ἄνθρωπος, in quo lex illa divina inest, *non solus* in homine exstat; maximam enim cordis mentisque partem caro ejusque concupiscentia occupatam tenet, ita ut pars spiritualis *natura* quidem propria hominis persona (das eigentliche

---

*) Cave huc referas locos, quibus *non moralis* libertas attingitur, sed vel arbitrium temporibus variis varie agendi (I Cor. 7, 37; II Cor. 9, 7; I Cor. 9, 1. 19), vel libertas civilis (Gal. 3, 28; I Cor. 12, 13; 7, 21. 22), vel quae in eo posita est, quod lex Mosaica nos non alligat (Gal. 5, 1 seqq. 13; I Cor. 8, 9), vel quod fragilitas humana nos non premit (Rom. 8, 21).

Ich) sit (Rom. 7, 17. 20), sed *effectu* caro potius, quae imperium exercet in cor et a propria hominis natura aliena est (v. 17 cfr. 14 et 18). Inter utrumque igitur certamen quoddam exoritur, in quo, quum facultates spiritus ab ipso non sustineantur, ὁ ἔσω ἄνθρωπος succumbit, homoque *non efficere potest, quod vult* (vv. 15. 16. 19. 20), πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν (14) ejusque δοῦλος est (Rom. 6, 6; 7, 25; 6, 17. 19). Atque adeo quum legem divinam sive externam sive internam, quae legum instar cogit, homo sequitur, revera liberum obsequium praestare dici non potest, quia ab illa *coactus* est, dum studia sua propria carnem sequuntur. *Spiritu* tandem ad actionem revocato, homo vere liber redditur; tum enim omnia a vera hominis natura spirituali aliena ejecta sunt, neque prohibent, quominus spiritualia verae hominis naturae consentanea fiant. Itaque per spiritum sanctum tandem a carne et a lege revera liberamur (II Cor. 3, 17), et principium ejus libertatis est fides, ejusque δικαιοσύνη (Rom. 6, 19. 20; I Cor. 7, 22 etc.) *).

§. 15.

De statu cordis regenerati.

Ut igitur cor mundetur bonoque prorsus assentiatur, πνεύματι suo denuo conjungatur, necesse est, ejus enim ope e carnis potestate eripitur. Propria et princeps ea spiritus actio potissimum ad fidem procreandam pertinet, in qua principium omnium est, quae a *corde* et *mente* efficiuntur; quum ipsa brevissima sit, nisi aut eo usque

---

*) Similiter Periander interrogatus τί ἐστιν ἐλευθερία; ἀγαθή, inquit, συνείδησις.

augeatur, ut animus a corpore sevocetur et visiones videantur (II Cor. 12, 2 seqq.), aut de industria retineatur ut in glossolalia fit; quum porro fides ex ipsa enata a Paulo, qui pro sua indole omnia ad *vitae usum* confert, non describatur tamquam in se conquiescens, sed ex *actionibus externis manifesta* : facile intelligi potest, quamobrem Paulus *πίστιν* etiam cordi tribuat (Rom. 10, 9. 10), atque, sibi constans, spiritum quoque in corde habitare (Rom. 8, 27), immo in corda effundi pronuntiet (Gal. 4, 6; II Cor. 1, 22). Sed hoc loco (sicut Rom. 5, 5) auxilium spiritus humani indicatum videtur praepositione *ἐν*, quae ita explicari potest : Deus dedit spiritum suum (sc. in humanum), ita ut nunc in cordibus habitet. Cor spiritus divini ipsi inhabitantis conscium, plenum persuasionis est de amore divino, quod fere idem est ac corde *πιστεύειν*, vel potius hac fide frui (Rom. 5, 5). Quae persuasio necessario augenda est, quod docet locus II Thess. 3, 5 : *ὁ κύριος κατευθύναι ὑμῶν τὰς καρδίας εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ·* ubi *ἀγάπη τοῦ θεοῦ* amor Dei erga nos (ut Rom. 5, 5) et *ὑπομονὴ τοῦ Χρ.* patientia obedienter a Christo praestata (non exspectatio Christi redituri, ut plerique volunt) est, uno verbo : utrumque totum redemptionis opus complectitur, ad quod considerandum (i. e. credendum) Thessalonicensium corda dirigat Deus. *Καρδία* hoc modo composita habet pacem, vel a Deo (Phil. 4, 7) vel a Christo (Col. 3, 15) petitam, et inde solatium capit (Col. 2, 2; 4, 8; II Thess. 2, 17). Jam tota voluntati divinae assentitur (Rom. 6, 17 : *ὑπακούειν ἐκ τῆς καρδίας*), Deum colit (Eph. 5, 19; Col. 3, 6), et quidem unâ cum reliquis fidelibus, *ὁμοθυμαθόν* (*θύμος* = *καρδία·* Rom. 15, 6); atque Deo conjuncta libertatem nanciscitur (Gal. 4, 6. 7 cfr. §. 14), semper est ad *ἁγιωσύνην* augendam intenta, ut *ἀμεμπτός* sit (I Thess. 3, 13).

In commercio usuque hominum *ἁπλῆ*, sincera est (opp. *διψύχῳ* Jac. 1, 8; 4, 8 *καρδίᾳ δισσῇ* Sir. 1, 28), ex certa lege agit, et in eo, quod justum esse putat, perseverat *ἑδραῖος* (I Cor. 7, 37; cfr. II Cor. 1, 17—22).

Quod ad intelligentiam cordis attinet, *κάλυμμα*, ad id tempus illud obscurans, elevatur (II Cor. 3, 15; Eph. 1, 18), per Deum ipsum inhabitantem clarum fit (II Cor. 4, 6), ita ut cordis cognitionem atque intelligentiam, experiendo effectam, *νοῦς* deinde excipiens in formam *γνώσεως* a ratione judicandi et cogitandi logica profectae redigere possit.

Cap. IV.

Νοῦς. **Mens.**

§. 16.

De vocabuli in scriptura sacra et apud scriptores Graecos profanos usu.

Jam §. 12 monuimus, *a LXX interpretibus* hebraicum לֵב vel לֵבָב nonnunquam verti *διάνοιαν* vel *νοῦν*. Utrumque semper, sicut etiam ab auctoribus librorum *apocryphorum*, de *mente* hominis quodam organo, nunquam de sensu vel illius habitu usurpatum esse videtur, quamquam *διάνοια* primo *actionem* mentis cogitantis et ratiocinantis significat, quam notionem etiam apud Paulum retinuit. In eo quoque utrumque vocabulum convenit, quod omnibus locis ad *intelligentiam* spectat, excepto Lev. 19, 17: *οὐ μισήσεις τὸν ἀδελφόν σου τῇ διανοίᾳ σου* (cfr. Matth. 22, 37; Marc. 12, 30; Luc. 10, 24; sed Ps. 104, 24 legitur *μισεῖν καρδίᾳ*), ubi fortasse de volvendo odio in mente

intelligere possis, sed etiam Graeci veteres *τῷ νοΐ* affectus sensusque tribuerunt (vide infra). Neque minus Gen. 45, 26 (*καὶ ἐξέστη ἡ διάνοια Ἰακώβ*) exspectes *καρδία* *).

Eandem significationem *mentis* *νοῦς* etiam in *N. To.* habet (Luc. 24, 45; Apoc. 17, 9; 13, 18). In epistolis, quae dicuntur, pastoralibus falsae cujusque doctrinae origo ex eo derivatur, quod *οἱ ἄνθρωποι διαφθαρμένοι τὸν νοῦν* etiam *ἀπεστερημένοι τῆς ἀληθείας* sunt (I Tim. 6, 5), eique resistunt (II Tim. 3, 8; cfr. Tit. 1, 15). Sed ex *his* locis, qui *uni* *νοῦν* praebent, hoc vocabulum ad Graecorum rationem accommodatissimum non saepe in N. To. exstare videbis; quid? quod in epistola ad Hebraeos scripta et in Evangelio Johanneo, ubi deesse vix quisquam crediderit, haud quaquam invenitur? in hoc fortasse propterea, quod ejus auctor mysticae contemplationi indulgens in *πνεύματος* et *καρδίας* consideratione ac mentione haeret. — In N. Ti., Paulinis exceptis, scriptis etiam *διάνοια* vicem mentis tamquam hominis organi praestet (Matth. 22, 37; Marc. 12, 30, ubi quidem vox a Tischendorfo deleta est; Luc. 10, 27; Hebr. 8, 10; 10, 16); sed Luc. 1, 51 in locutione *διάνοια καρδίας* (quam Vulgata miro modo interpretatur: mente cordis) principalem notionem *cogitationis* tenet.

Haec loquendi ratio prorsus consentanea est veteribus Graecis. *Νοός* (apud scriptores posteriores contractum *νοῦς*· ita semper in dialecto Attica **) in scriptis adhuc

---

*) Vocabulum *νοῦς* e voce לֵב versum in his locis exstat: Ex. 7, 23; Jos. 14, 7; Job 7, 17. 20; 33, 6; Prov. 31, 3; Jes. 14, 22; 10, 7. 12; 40, 13. — Sap. 4, 12; 9, 15; II Macc. 15, 8; III Esdr. 2, 9; Sus. 9. — Jes. 40, 3 usurpatur pro רוּחַ cfr. Rom. 11, 34; Prov. 31, 3 pro דֶּרֶךְ; Job 33, 16 pro אֹזֶן et Job 7, 20 נֹצֵר i. e. insidiator, redditur *ἐπιστάμενος τὸν νοῦν*.

**) Sane errant, qui *νοῦν* a verbo *κινέω* derivant, unde sit idem atque *ὁ κινῶν*, quod potius e philosophia (Arist.) *νοῦν τὸν κινοῦντα* vocante,

superstitibus initio inprimis mentis *habitum* et *effectus* denotasse videtur: *sensum* (nostrum Sinn sine articulo, Gesinnung), *cogitationem*, *consilium* (Hom. Il. *νόον νοεῖν*), quamquam jam apud Homerum etiam notio *mentis* accedit, h. e. id *quo* cogitatur, consilium capitur, immo sentitur, sicut alias *θύμῳ* et *κραδίῃ*: *χαῖρε νόῳ* Od. 8, 78 et saepe (cfr. Luc. *ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι*); *χόλος οἰδάνει νόον* Il. 9, 554; *ἐκ παντὸς νόου παρεσκεύασται μένειν* Her. 8, 97 (cfr. Marc. 12, 30 Elz.) *).

A philosophis notio *mentis* caput ceterarum redditur. Principio *νοῦς* et *ψυχή* inter se non distinguuntur; Democritum quidem nullum eorum omnino discrimen disertim statuisse, testis est Arist. de an. 1, 2. Post distinctionem (quam verisimile est primum a Xenophane Eleatico factam esse) *νοῦς* in omnibus disciplinis psychologicis, sive rationem bipartitam (Arist.), sive tripartitam (Pyth., Plat., Antonin. III, 16 all.) sequuntur, primum ordinem tenet. *Νοῦς* incorporeus, aeternus, id quo homo efficitur ut homo sit, vivendi principium, cogitationum atque intelligentiae fons est: *τὸ ἡγεμονικόν*. *Aristoteles*, quamquam dichotomiam praefert, *νοῦν* supra *ψυχήν* esse censet et *θεῖον*

---

petitum videtur; quamquam omnes notiones psychologicae, ut videtur, apud omnes gentes non omnino rudes a radicibus aliquem *motum* significantibus derivantur. Vocabuli etymon est √ *ΝΟ* vel *ΓΝΟ*, quibus respondet *sanskr. g'na*; ab illa forma derivatum adhuc exstat verb. iterat. *νοέω* cum ejus *composs.*, et latinum *novi*, *notus* a † *noo*, sicut *πότος*, potus a † *πόω*, poo; ab hac derivatur † *γνό-ω*, *gno-o*, und *γι-γνώσκω*, *γνῶσις* etc., lat. † *gno-vi*, † *gno-tus*, quod adhuc apparet in *a-gno-vi*, *a-gno-tus* (rectius ad-gnovi etc.) *i(n)-gno-tus*, *co(n)-gnotus*. *Νοῦς* igitur nativa vi *intelligendi* facultatem vel *intellectum* ipsum significat.

*) Eodem modo igitur neque scriptura sacra neque Homerus aliique inter notiones intelligendi et sentiendi tam subtiliter distinguunt, quam philosophi solent, quod ab omnibus gentibus nondum philosophantibus fieri videmus.

ψυχῆς ομμα, eumque esse ait ἐν ψυχῇ quod ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ *), sc. ᾧ διανοεῖται καὶ ὑπολαμβάνει ἡ ψυχή, de an. 3, 4. *Νοῦς Platonicus* quoddam divinum, animae divinitus impertitum est, quo anima immortalitatis et intelligentiae particeps fit, eodemque modo *νοῦς* mundanus, qui est summa intelligentia et *ψυχή* mundana discernuntur **). Platonem sequitur Philo : *τρία γὰρ μέρη ψυχῆς· τὸ μὲν θρεπτικὸν, τὸ δὲ αἰσθητικὸν, τὸ δέ τι λογικόν. Τοῦ μὲν οὖν λογικοῦ τὸ θεῖον πνεῦμα οὐσία, κατὰ τὸν θεόλογον.* Certe igitur, sicut etiam quidam *Patres*, *νοῦν* Graecorum et *πνεῦμα* scripturae sacrae idem esse putavit. Ut verbo dicam : apud philosophos Graecos *ὁ νοῦς* eundem tenet locum superiorem, quem in scriptura sacra inprimis apud Paulum *το πνεῦμα* habet, quae differentia in natura hominis cognoscenda tanti momenti est, ut ex ea tota dissimilitudo pernosci possit, quae interest inter nationis Graecae ingenium et revelationis naturam. Illic potior est intelligentia, contemplatio, studium animum ab omni perturbatione ad cogitationem quietam revocandi, ita ut *νοῦς* et *ἐνθουσιασμός* unâ non reperiantur; hîc hominis regressus in se ipsum usque ad illum intimum et absconditum facultatibus tantum suis foras manifestatum vitae fontem, usque ad *πνεῦμα* scilicet, *inquies* illa cum ardore quodam atque impetu conjuncta, internum illud commercium cum spiritu divino usque ad furorem divinum (*ἔκστασιν*), deinde

---

*) Pariter ὁ νοῦς a Macario, hom. VII ὀφθαλμὸς ψυχῆς, et hom. XL ἡνίοχος ψυχῆς vocatur; cfr. etiam Philonem de dec. or. II, p. 192. Quod Deus sit imm. I, p. 279.

**) Similiter apud Romanos mens (a μένος, quod apud Hesych. etiam νοῦς, ψυχή est, sed vehementius motus) „regnum totius animi“ habet, Cic. Tusc. 3, 5; de fin. 5, 12. Non raro etiam mens, sensu latiore, de animo ipso dicitur, Cic. Tusc. 4, 24 et saepe.

vis atque vigor, quo *πνεῦμα* omnes hominis partes penetrat sibique aequales reddit, ut postremo etiam *corpus* spirituale futurum sit; illic philosophus meditans, hîc propheta inflammatus, raptus atque ardens (cfr. Ackermannum p. 910). Cui discrimine omnino convenit, quod Deus qualis in philosophia Graeca extat *νοῦς* est, *πνεῦμα* autem qualis in revelatione; ille — adversus omnes conatus, qui semper frustra fuerunt —, ut verbis philosophorum nostrorum utar, transcendens; hic immanens est. Sicut autem universa doctrina Christiana Graecam non prorsus evertit, sed potius regenerat et amplificat, sic *νοῦς* Graecus inprimis a Paulo ita renovatus est, ut locum suum principalem amiserit, et quasi organum *πνεύματος multo amplioris et locupletioris* appareat. Neque, meo quidem judicio, Paulus, qui *πνεῦμα* in infidelibus prorsus recedere et otiosum esse censet, facere potuit, ut Graecis, qui ipsi omnes virtutes menti inhaerere putabant, obscuram saltem conscientiam, qualiter essent morati, non tribueret, praesertim quum ipse, quotiescunque de ethnicis locutus est, toties fere *νοῦν* ejusque habitum ac *γνῶσιν* commemoraverit, nusquam *πνεῦμα*.

Quas vero mentis notiones esse vidimus, iis omnibus Graeci etiam *διάνοιαν* ornant, et quidem notione *mentis* ipsius (sic inprimis Plato), et ejus *actus*.

§. 17.

De natura atque efficacia mentis Paulinae.

Quum *καρδία* locus quidam occultus absconditusque sit (I Cor. 14, 25; 4, 5), *νοῦς* tantum adhibetur, ubi homo usum habet cum mundo. Itaque aut res inde perceptas (Rom. 1, 20) in *καρδίαν* et deinde in *πνεῦμα*, ut eorum propria efficacia transformentur, inducit; aut mutuo res spirituales interne maturatas, ab illisque exceptas, e sua

natura elaborat, a vitiis defectibusque propter carnem inhaerentibus liberat (I Cor. 8, 7 seqq.), et foras producit (I Cor. 14, 2. 5 et saepe). In *πνεύματι* et *καρδίᾳ* semper quaedam commotio et excitatio praevalet, in *νοΐ* cogitatio intelligens et intelligentia cogitans, quae omni motu praestat et in quietem contemplationis inducta est.

Notio *mentis Paulinae* psychologica est organi *intelligendi.* Nusquam eam explicari licet sensum, sententiam, cogitatum, vel etiam consilium et voluntatem, sed semper illam *πνεύματος* facultatem, *mentem*, Vernunft (Verstand et Vernunft non destincta sunt a Paulo). Neque magis interpretari licet „practische Vernunft“, ut Meyerus ad Rom. 7, 23 fecit. Quamquam enim constat, res, quas vocant, theoreticas et practicas non eodem modo a scriptoribus sacris discretas esse, ut a nobis fieri solet, hoc tamen non in voce *νοός* positum est, ut *per se* habeat illam significationem nostrae notionis „practische Vernunft“, sed haec est causa, quod cum corde spiritui quasi communi fonti inhaeret, et *quod voluntati non organum proprium adscribitur;* voluntas enim semper sive e sensu sive ex intelligentia sequitur, quum neutra harum notionum sine voluntate cogitetur *). *Νοῦν* vero *facultatem* intelligendi et cogitandi **) esse, satis superque docent loci hi : Rom. 11, 34; I Cor. 2, 16; 14, 14. 15. 19; Phil. 4, 7; II Thess.

---

*) Apud Johannem sese res aliter habet, ibi enim intelligentia et voluntas non distinguuntur, quia etiam summa *ἀλήθεια* in *πνεύματι* sive *καρδίᾳ* sedem habet.

**) Eodem sensu etiam *Christo νοῦς* adscribitur (I Cor. 2, 16[b]), ac vel *Deo* ex humana ratione cogitandi (Rom. 11, 34; I Cor. 2, 16[a]). Hoc loco verba e Jes. 40, 13 allata *τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου* secundum totum contextum orationis (cfr. v. 12. 14) ad *Deum* pertinere puto, praesertim quum Paulus ipse Rom. 11, 34 sine dubio ita interpretetur. Sed *νοῦς* divinus nisi ab homine *νοῦν τοῦ Χριστοῦ* (false Lachm. *τοῦ κυρίου*) possidente explorari non potest, quum uterque *νοῦς* par sit. Stir-

2, 2. At equidem non dubito, quin vox in ceteris quoque locis nunc comparandis idem denotet. Rom. 1, 28: *καὶ καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα.* Ethnici *ἐπίγνωσιν* per *νοῦν* comparatam omiserunt, itaque *νοῦς*, quum divino consilio non satisfaceret, *ἀδόκιμος*, reprobus, non idoneus factus est. Cognitione autem depravata, etiam voluntas eo pervenit, *ποιεῖν τα μὴ καθήκοντα.* — Rom. 12, 2 *μεταμορφοῦσθαι τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί κτλ.*, ubi jam vocabulum *δοκιμάζειν* de facultate intelligendi agi indicat. Hoc quidem certum est, *ἀνακαίνωσιν* ad totum hominem spiritualem pertinere, unde tamen non sequitur, ut *νοῦς* hoc loco eum totum designet, sed est loquendi ratio qua pars pro toto ponitur. — 14, 5 *Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω*, ubi omnino *γνῶσις ἐν νοῒ* parta discrimen facit, utrum aliquis dies dijudicet necne (cfr. I Cor. 8, 1). — I Cor. 1, 10 *παρακαλῶ δε ὑμᾶς . . . ἵνα . . . ἦτε κατηρτισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ.* Hîc fere omnes interpretes falso, ut puto, distinxerunt (Schulzius et Peltus prorsus non distinguunt). Quum Chrys., Theodor., Theophylact. et *plerique νοῦν* fidei *intelligentiam quasi theoreticam, γνώμην sensum qui dicitur practicum*, amorem, interpretati sint, Rückertus contra et Meyerus illud intelligunt de sensu (Sinn), hoc de sententia (Ansicht); Meyerus enim censet, si *νοῦς* de intelligentia dictus esset, id contextu indicari oportere. Sed res

---

mius pag. 46 putat, aut *νοῦν* cogitatum significare, aut *νοῦν ἔχομεν* vertendum esse: cognitam (!) habemus mentem Christi (sic etiam Tittm. pag. 294). Quod minime ita sese habet! Nam Paulus, sibi conscius est, Christi cor in ipso palpitare, ejusque in ipso *νοῦν* veritatem cognoscere (cfr. II Cor. 11, 10), quod scilicet Christi *πνεῦμα* in ipso habitet. Rom. 8, 9 seqq.

tota sese contra habet, quia notio *τοῦ νοὸς* principalis in intelligendo posita est. Recte Tijssenus p. 118 Olshausenum pag. 160 secutus *γνώμην* de mentis *effectu*, mentis *sententia*, *νοῦν* de sententiae *fonte* intelligit. Apostolus enim contra schismata pugnans a Corinthiis postulat, *ἵνα τὸ αὐτὸ λέγωσιν*, unam igitur eandemque confitendi rationem. Quamobrem fontem schismatum indicandum esse putat : Corinthii non *κατηρτισμένοι* (Vulg. : perfecti) *ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ* stant, neque igitur eandem *γνώμην* habent, quare non item confiteri possunt et ad schismata ducuntur. Pariter et haereses falsasque doctrinas *νοῦς* ejusque *γνῶσις* gignere perhibetur, quamobrem illae non per se exigunt, ut *πίστιν πνεύματος*, ubi haereses evadunt, prorsus deletam esse sumamus (II Cor. 1, 24; Col. 2, 18 et saepe; cfr. I Tim. 6, 5; II Tim. 3, 8; Tit. 1, 15). — Eph. 4, 17 *καθὼς καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη περιπατεῖ ἐν ματαιότητι τοῦ νοὸς αὐτῶν*, ubi noster sine dubio mentem theoreticam, cujus doctrinas homo sequitur, fortasse Graecorum doctrinam de mente quasi hominis summa parte respiciens, intelligit. — Eadem de v. 23 valent. — Col. 2, 18 : *ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων εἰκῇ φυσιούμενος ὑπὸ τοὺ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ.* Angelorum cultus fructus somniorum et commentorum mentis a spiritu suo separatae carnique traditae est, illa *ἔκστασις* autem christiana atque verae revelationes in spiritu gignuntur (nos ita distinguimus inter „Phantasie“ et „Gemüth“). — Ne Rom. 7, 23. 25 quidem *νόμος τοῦ νοός* verti debet „das Gesetz der practischen Vernunft“, sed in *accurate cogitando* et considerando*), quatenus hoc *τῷ ἔσω ἀνθρώπῳ* proprium est, neque a carne excitatur (Col. 2, 18), illa lex posita est, a qua *νόμος*

---

*) Schleiermacherus der christliche Glaube II, §. 88, 1 : Das Gesetz im Gemüthe ist die *Vorstellung* des als göttlich Anerkannten.

ἐν ταῖς καρδίαις γραπτός aeque differt, ac cogitatio aliqua perspicua ab incerto appetitu.

Efficacia mentis primitiva *τὸ νοεῖν* est, quod primum significat *cogitare*, quod sejunctis singulis actibus peragitur, necdum ad conclusionem pervenit, sed adhuc movetur, h. e. *considerationem quandam explorantem*, *qualis* sit alicujus rei natura et essentia, quare e. g. e natura Deum invisibilem adesse concluditur (Rom. 1, 20 *); cfr. Matth. 24, 15; 15, 17); tum *intelligere*, quod cogitando efficitur, quatenus *unus* tantum actus est (Eph. 3, 4. 20; cfr. I Tim. 1, 7; Hebr. 11, 3) **). Prior sensus etiam verbo *κατανοεῖν* assignatur, quod tamen potius usque ad *intimam* rei naturam cogitando considerandoque penetrare denotat (Rom. 4, 19: Abrahamus non adeo corpus suum animadvertit, ut deliberaret, num idoneum esset ad liberos gignendos; similiter Matth. 7, 3; Hebr. 10, 24 et saepe).

Νοῦς νοῶν in statu *διανοίας* ***) est, in quo vocabulo praepositio *διὰ* indicat, *νοῦν* rem sibi propositam omnes in partes *per*cogitare, quas tandem unitate aliqua comprehendat (Eph. 2, 3, quo loco *θελήματα διανοιῶν* voluntates sunt, quae e cogitatis exortae ad ea perficienda

---

*) Tittmannus pag. 191 Lutherum sequens verbum non satis graviter explicat »merken«, est potius meditando cognoscere. Etiam apud Graecos vocabulum *νοεῖν* semper intentionem habet aliquid perspiciendi; etsi de oculis dumtaxat agatur (Il. 10, 550: *οὔπω τοίους ἵππους ἴδον οὐδ' ἐνόησα*, i. e. videns eorum naturam animadverti.)

**) Hoc sensu fere congruit cum verbo *συνιέναι*, quod utrumque LXX vertunt e vocabulo hebraico הָבִין (vide infra).

***) *Ἔννοια* quod Hebr. 4, 12 vocabulo *ἐνθυμήσεως* subjunctum est, et ita ab ipso differt, ut ipsum ad mentem, hoc vero ad cor attineat (cfr. I Petr. 4, 1), apud Paulum non exstat. *Πρόνοια* est cogitatio rem agendam *praecedens*, inde *cura* de aliqua re (Rom. XIII, 14; *προνοεῖν* II Cor. 8, 21, *προνοεῖσθαι* Rom. 12, 17); *ὑπόνοια* est cogitatio *penitus abscondita*, inde *suspicio* (I Tim. 6, 4).

animum intendunt; 4, 18; Col. 1, 21). Apud ceteros N. Ti. scriptores, quod jam vidimus, *cogitandi facultatem* ipsam designat, quapropter vel parum vel nihil a voce *νοῦς* discedere videtur, excepto uno loco Luc. 1, 51. — Quum *διάνοια* perfecta est, efficitur *νόημα* (quod in N. T. nonnisi apud Paulum reperitur), *cogitatum*, quo quidem consilium aliquod contineri potest, sed si accuratius e ratione Paulina distinguimus, *consilium* interpretari *non* licet (II Cor. 2, 11; 10, 5 *); 11, 3; Phil. 4, 7, quo loco ad *καρδίαν* additum est, non quo — id quod Bengelius et Meyerus putant — cor cogitationum sedes esset, sed quoniam universa hominis natura spiritualis describenda erat; *νόημα* enim, quod jam Beza et Calvinus viderunt, *τοῦ νοός* loco, ut saepe *effectum* pro efficiente, apparet. Neque utroque loco II Cor. 3, 14; 4, 4, *νοήμα* necesse est (cum Beckio pag. 59, Tijsseno pag. 124, qui Roosium IV, §. 26 sequuntur), mentem ipsam intelligamus, nam quod de organis valet, *μεταφορικῶς* etiam de eo, quod efficiunt praedicare possumus, ut pro mente caeca nuncupemus cogitata caeca vel indurata. Homo qui *ἐσκοτισμένος τῇ διανοίᾳ* est, Eph. 4, 18 (in statu *ἀνοίας* versatur Luc. 6, 11; II Tim. 3, 9) *ἀνόητος*, stultus, stolidus vocatur, quod respondet vernaculo „unvernünftig“ (Gal. 3, 1. 3; Rom. 1, 14, ubi sensu *βαρβάροις σοφοῖς*· i. e. *Ἕλλησιν* opponitur). Non necessario — quod Tittmannus pag. 144 statuit — *ἀνοήτου* proprium est, semper sapere *sibi videri*, quum haec notio vocabuli neque etymo neque ejus usu indicetur. Praeterea graviorem significationem habet propinquo *ἀσύνετος*.

---

*) Tittmannus non satis accurate vertit *sententiam* hominis, est potius *cogitatum* hominis.

Alia τοῦ νοὸς actio est τὸ λογίζεσθαι, ab affini voce λόγου, i. e. *mentis*, quamquam ea vox hujus significationis nusquam exstat in libris sacris (num forte in dicto, a pagano Gallione pronuntiato? Act. 18, 14)*). A verbo νοεῖν ita differt, ut in ipso praevaleat *ratiocinandi, concludendi, judicandi* vis (Tittm. 175), sive significat *censere, opinari*, i. e. *concludendo, ratiocinando* (Rom. 2, 3; 3, 28; 6, 11; 8, 18. 36 etc.), sive *in rationem inducere, imputare*, sc. *ratiocinando* (Rom. 2, 26; 4, 3. 4. 5 etc.), unde λογισμός ratiocinationem, cogitationem concludendo effectam denotat (Rom. 2, 15; II Cor. 10, 5, ubi Grotius bene ratiocinationes philosophorum intelligit; νόημα, ibidem obvium, generaliorem sensum habet quaecunque cogitatione mentis efficiuntur, itaque λογισμοὺς in se comprehendit). A voce διαλογισμοῦ (I Cor. 1, 21; 14, 1; I Cor. 3, 20; Phil. 2, 14) ita differt, ut haec cogitationem nondum in se conclusam, sed in dubitatione adhuc versantem designet (Marc. 11, 31; cfr. Matth. 21, 25)**).

Quum haec duo vocabula mentis actionem magis ad *intellectum* pertinentem denotent, in vocabulo φρονεῖν magis *prudenter agendi* vis posita est. Sic jam in radice φρένες aliquid latet, quod infra νοῦν magisque naturale est (cfr. de discrimine Naegelsbach homerische Theologie p. 334 seqq.). Sed non recte Olshausenus p. 158 significatione φρονεῖν, φρόνημα, quae voluntatis directionem denotare

---

*) Falso *Fritzschius* ad Rom. 2, 3 docet, verbum λογίζεσθαι non ducendum esse a voce λόγος *ratio*, sed voce λόγος *computatio*, nam illa notio in libris sacris non exstans sine dubio prior est, a qua tum generaliore haec specialior derivata est. Verbum autem λογίζεσθαι a scriptoribus sacris e *profanis* petitum neque ab ipsis formatum est; cfr. etiam vim *adjectivi* λογικοῦ.

**) Ubi Apostolus de sola *judicandi* actione agit, uti etiam solet verbis κρίνειν, ἀνακρίνειν, διακρίνειν, δοκιμάζειν.

solent, inductus statuit, *φρένας voluntatem πνεύματος* esse, nam I Cor. 14, 20 prorsus eodem modo atque *νοῦς* de intelligentia usurpatum est *), de facultate scilicet *dijudicandi* (cfr. *φρεναπατᾷν* Gal. 6, 3; *φρεναπάτης* Tit. 1, 10). Apud Graecos verbum *φρονεῖν* omnes illas significationes habet, quas substantivum *φρένες*, et notionem intelligendi (sapere, intelligere, sentire, cogitare; ita aliquoties conjunctum est cum *νοεῖν*, Plat. Phil. 11. 6), et notionem sentiendi aliquid in aliquem, et volendi, quo aliquid quaeritur. In N. T. primaria intelligendi significatio non exstat, ne Act. 28, 22 quidem (cfr. Meyerum a. l.), sed semper ei inest vis aliquid intendendi, quaerendi. Bene Beckius pag. 61 ita explicavit: „es ist die practische, aber immer denkend bestimmte Seelenrichtung, andrerseits ist das Denken immer practisch bestimmt." Significat igitur primum *aliquid agendum, impetrandum meditari* (Rom. 8, 5; 12, 3 [ubi objectum per *εἰς* inducitur, cfr. Il. 23, 305 *εἰς ἀγαθὰ φρονεῖν*; Eur. Phoen. 1135: *εἰς μαχὴν φρονεῖν*]; 12, 16[b]; 15, 5; I Cor. 4, 6 [Elz.]; II Cor. 13, 11; Gal. 5, 10; Phil. 2, 2; 3, 15 [ad quem locum Chrysostomus bene: *οὐ περὶ δογμάτων ταῦτα εἴρηται ἀλλὰ περὶ βίου τελειότητος καὶ τοῦ μὴ νομίζειν ἑαυτοὺς τελείους εἶναι*]; 3, 19; 4, 2; Col. 3, 2); tum *affectum aliquo modo vel animatum esse in aliquem*, cui adjuncta est notio: *sollicitum esse de aliquo* (Rom. 12, 16[a]; Phil. 1, 7; 2, 5; 4, 10); deinde *aliquid in pretio habere, insigne habere, aestumare* (Rom. 14, 6: *ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν*, quod *φρονεῖν* antecedit v. 5

---

*) In versione Alexandrina vox illa Graeca legitur pro voce Chald. מַנְדַּע (Dan. 4, 31. 33) atque Hebr. לֵב (inprimis Prov. VII, 7 et saepe, ubi plerumque quasi domicilium *σοφίας* refertur); Prov. 18, 2 pro כְּסִיל invenitur *ἐνδεὴς φρενῶν*.

κρίνειν, hoc de intellectu, illud de affectu) *). Itaque *φρόνημα* id est, quod *appetitur, petitur* (Rom. 8, 6. 7. 27, ubi de spiritu et carne dicitur, intellectu prorsus neglecto, cfr. §. 6). *Intellectus* significatio praevalet in *adjectivo φρόνιμος*, quod apud Synopticos respondet latinae voci „*prudens*" (Matth. 25, 2 seqq. de quinque virginibus prudentibus opp. *μωραῖς*, Luc. 12, 42 de *οἰκονόμῳ* prudente, et sic saepe); sed apud Paulum respondet vocabulo „*sapiens*" (I Cor. 10, 15, ubi idem est ac *γνῶσιν ἔχων* : 8, 1); plerumque scriptum est de *falsa sapientia*, aliis locis *σοφία* dicta (Rom. 11, 25; 12, 16), *aut ironice* (I Cor. 4, 10; II Cor. 11, 19), ita ut illa notio practica valde attenuata sit, quod etiam in substantivum *φρονήσεως* cadere videtur (Eph. 1, 8, ubi simul cum vocabulo *σοφίας* conjunctum est, eo sensu, ut haec, quae latiorem significationem habet illam contineat, vel in singulis causis dijudicandis quasi *φρόνησις* manifestetur; cfr. Prov. 10, 23 : *ἡ σοφία ἀνδρὶ τίκτει φρόνησιν*) **). Etiam *ἄφρων* et *ἀφροσύνη* pro sua origine utramque illam notionem aut ad voluntatem aut ad intellectum spectantem habet ***). Illa praevalet Luc.

*) Eadem vis practica verbis compositis inest : *ὑπερφρονεῖν* Rom. 12, 3, *περιφρονεῖν* Tit. 2, 15, *καταφρονεῖν* Rom. 2, 4; I Cor. 11, 22, de quibus synonymis bene disputavit Tittm. 100; *σωφρονεῖν* Rom. 12, 3; II Cor. 5, 13, quod Beckius recte explicat : »die geistig gesunde Haltung des seelischen Trieblebens«, modo ne inscium intelligeret.

**) In versione LXX interpretum legitur vox pro vocibus : בִּינָה; שֶׂכֶל ׳חָכְמָה ׳תְּבוּנָה ׳לֵב ׳מַדָּע.

***) Apud Platonem similiter *ἀφροσύνη* opponitur et *σωφροσύνῃ* et *σοφίᾳ*. Quomodo Tittm. 143 inter *ἄφρονα* et *ἀνόητον* hoc discrimen interesse ducere possit, quod ille ratione non recte utatur, hic autem plane destitutus sit, equidem non perspectum habeo; immo desipit ille magis voluntate, hic magis intellectu. Etiam in hoc errat, quod *ἄφρονα* in N. T. plerumque sine opprobrio dici censet, neglexit nempe loci II Cor. 11, 19, quem maxime testimonio esse vult, vim ironicam.

11, 40 (de pharisaeis res externas appetentibus), Luc. 12, 20 (de homine vana appetente), II Cor. 11, 36 seqq. (de gloria vana); sed magis vim ad intellectum spectantem habet I Cor. 15, 36 (de homine, qui, propter corpus animale atque infirmum, quod nunc exstat, resurrectionem credere non potest, itaque multum abest a fide Abrahami, qui corpus suum emortuum non animadvertit; cfr. Rom. 4, 19; Rom. 2, 20). Loco Eph. 5, 15—17 conjuncta sunt *ἄσοφος*, *ἄφρων* et *συνιέναι*. Ephesii ibi monentur, ut caute ambulent, non *ὡς ἄσοφοι ἀλλ' ὡς σόφοι* v. 15, quod ex eo fit, quod non *ἄφρονες* sunt, *ἀλλὰ συνιέντες τί τὸ θέλημα τοῦ κυρίου* 17. *Σόφος* est vocabulum generalius, id quod utrumque, et illud ad agendum et hoc ad intelligendum spectans, in se continet.

Νοῦς νοῶν progreditur ad *συνιέναι*, i. e. quae jam percogitata (*νοούμενα*) sunt *confert*, *inter se comparat*, et ita concludendo *aliquid veri novique* assequitur (Rom. 3, 11; 15, 21; II Cor. 10, 12; Eph. 5, 17). Apud synopticos plerumque cum notione altera vocabuli *νοεῖν* congruit, praeterquam quod ipsum semper fere de *sermone* aliquo *arcano et obcuro* intelligendo (fortasse etiam a partibus singulis inter se comparandis), *νοεῖν* autem de *rebus terrestribus sed spiritualiter explicandis* ursurpatur. Itaque *σύνεσιν* statui potest sive actionem esse sive habitum mentis percipientis (I Cor. 1, 19; Eph. 3, 4 *νοεῖν τὴν σύνεσίν μου*, i. e. cognoscere quomodo ego mysterium Christi perspectum habeam), e *σοφίᾳ* profluentem (Col. 1, 9*)), quae in Christianis quoque semper augenda sit (Col. 2, 2). Nihil igitur perversius fuit, quam quod

---

*) Bengelius ad h. l. dicit: „sapientia (*σοφία*) est quiddam generalius, in toto complexu facultatum animae; *σύνεσις* est solertia quaedam, ut quovis tempore aliquid succurrat, quod hic et nunc aptum est.“

Olshausenus pag. 158 *σύνεσιν* (sensu Verstand) contrariam esse statuit *νοΐ* (sensu Vernunft)*), his verbis : „*σύνεσις* et *συνετὸς* per se pertinent ad res inferiores et terrestres, et in rebus divinis parum aestimantur"; causa hujus erroris fuit, quod voces illas non solum distingui a vocibus *νοῦς*, *νοεῖν*, sed ubique etiam disertis verbis ad *καρδίαν*, facultatem, ex ejus sententia, psychicam et ideo inferiorem, revocare vidit. Sed hoc non animadvertit, duas esse rationes intelligendi alteram cordis alteram mentis, unde utrique facultati pariter intelligendi notiones tribui possint, sicut etiam dictio occurrit : *νοεῖν τῇ καρδίᾳ* (Joh. XII, 40). Ne I Cor. 1, 19 quidem, quem locum inprimis urget, de rebus terrestribus agitur, sed spectat vaticinium ibi laudatum ad ethnicorum cogitata de numine divino et ad illorum *νοῦν ἀδόκιμον* (Rom. 1, 28 cfr. 21). Ceterum et res *terrestres mente* cogitari, sententia est Paulina, quamquam earum mentionem faciendi non occasio fuit. Christianorum *σύνεσις πνευματικὴ* est (Col. 1, 9). Adjectivum *σύνετος* fortuito non occurrit nisi ut illum male sapientem significet, eodemque sensu quo *σόφος* Rom. 1, 14 *βαρβάρῳ* oppositus sit (I Cor. 1, 19; cfr. Matth. 11, 25). Digniorem autem notat Act. 13, 7 Sergium Paulum, utpote qui religione tralaticia non contentus ad veri Dei cognitionem pergere studeat (cfr. Meyerum).

Hic modus rerum inter se comparandarum, itaque *de gradu ad gradum cognitionis et veritatis* progrediendi alio loco etiam accuratius describitur : I Cor. 2, 13 : *ἃ* (sc. *τὰ ὑπὸ θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν*) *καὶ λαλοῦμεν οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνοις σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος, πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες,*

---

*) Idem censuerunt Baehrus (Commentar über den Brief Pauli an die Colosser) et Steigerus (der Brief Pauli an die Colosser) ad 1, 9.

quem locum omnes interpretes, alius aliter interpretati, non recte, ut puto, intellexerunt. Hoc quidem constat, quamquam etiam Rueckertus repugnat, *πνευματικοῖς* non esse masculini generis, sed neutrius. Plerique recentium inde ab Erasmo, Beza, Calvino interpretantur : spiritualibus spiritualia componentes, quum illud de rebus, hoc de forma intelligant, ac si Paulus verba et sermonem rei se accommodare dixisset (Calv.). Sed quamquam haec verbi compositi notio prorsus attenuata apud Graecos et etiam apud Patres reperitur (cfr. Herod. 4, 152 *φιλίαι συνεκρίθησαν*, alii legunt : *συνεκρήθησαν*; et saepe apud Platonem *τῷ διακρίνειν* oppositum, Tim. 67. d. Parm. 157. a. Polit. 282. b. etc.; cfr. Ast lex. Plat. III, pag. 290; Greg. Nyss. orat. cat. cap. XXXIII, t. III, p. 95 *συγκρινόμενος ὁ ἄνθρωπος λογικόν τι χρῆμα διανοητικόν ἐστι*), tamen in sermone librorum sacrorum nusquam deprehenditur, neque quisquam veterum interpretum ea est usus. Significat verbum potius primum *comparare*, *dijudicare* (II Cor. 10, 12; cfr. Sap. 7, 29 *φωτὶ συγκρινομένη σοφία*, 15, 18; I Macc. 10, 71 *συγκριθῶμεν ἑαυτοὺς* : experiamur vires nostras, sc. praelio). Deinde denotat comparando, dijudicando aliquid *explicare*, *interpretari*, quo sensu inprimis de somniis usurpatur (cfr. Homericum *κρίνειν ὀνείρους*), et hebraice פָּתַר (Gen. 40, 8. 16. 22 etc.) chaldaice autem פְּשַׁר (Dan. 5, 12. 16 etc.) dicitur. Hoc sensu explicant Chrysost., Theod., Theophyl., alii; sed, contextu repugnante, *πνευματικοῖς* dictum esse volunt de typis veteris testamenti, quibus Paulus doctrinam suam illustret. Geminatae hujus vocis non variatus est sensus, utraque pro contextu orationis *sapientiam spiritualem* vel potius *singulas ejus sententias* significat. Totus igitur sermo ita explicari debet : spirituales sententias cum aliis spiritualibus comparare (cfr. etiam v. 15 *ἀνακρίνειν τὰ πάντα*), eo consilio, ut aliquid concludatur ideo-

que vera novaque quaedam sententia reperiatur. Qua in re apostolus illos, quos hoc loco vituperat, Christianos non imitatus est, qui Apollonem secuti et doctrina Alexandrina imbuti procul dubio sententias a spiritu traditas cum sapientia mundana composuerunt indeque illustraverunt, sed revelatas cum revelatis (v. 12) composuit, ut hac via ad altiorem *γνῶσιν* procederet.

Qui hanc concludendi artem callet, *γνῶσιν* habet, *γιγνώσκειν* et *εἰδέναι* potest. Verbo autem *γιγνώσκειν*, praeterquam quod summam mentis perfectionem in ratione *cogitandi* et *judicandi* positam denotet, apud Paulum saepissime ea vis ac potestas subest, qua aut illam, de qua §. 13 locuti sumus, internam *cordis experientiam*, aut scientiam quam *historicam* dicunt sive illam persuasionem significat, qua argumentis externis inducti rem aliquam aliquo modo se habere tenemus. Aliquoties verbum etiam Barnabae intelligendi rationi allegoricae, qua profundior veteris test. et antiquae oeconomiae divinae cognitio explicatur propinquum est (I Cor. 10, 1 cfr. Barn. epistola 6, 11 : *τί λέγει ἡ γνῶσις, μάθετε*).

§. 18.

De statu mentis naturali.

Etiam *τῷ νοΐ* propositum erat, ut spiritui suo inhaereret, eique res induceret (Rom. 1, 20) et rursus inde reciperet (I Cor. 14; Col. 1, 9) *). At carni se tradidit (Col.

---

*) Quoniam *πνεῦμα* sedes commercii cum Deo est, omnis mentis efficacia sana ad illam Dei conscientiam pertinere, i. e. etiam cogitatio terrestris circa Deum verti (theocentrisch, quod Hundeshagenus dixit, esse) debebat.

2, 18) et quum *καρδία* et *νοῦς* communi fundamento carerent, hae facultates ipsae inter se separatae sunt, ita ut res quae ad intelligentiam et eae quae ad vitam pertinent (Theoretisches und Practisches) non amplius unâ comprehendantur, *γνῶσις* igitur sine amore sit (I Cor. 8, 2). Uno quidem temporis puncto *νοῦς* a spiritu suo atque ita etiam a Deo descivit (Rom. 5, 12 seqq.), sed paullatim tantum a carne est penetratus. Nam quum natura sua divina non extemplo spoliari posset, in ipso remansit *ὁ νόμος τοῦ νοός* (Rom. 7, 23, 25), i. e : cogitatio sibi constans, quae, quatenus non a carne movetur, semper bonum ac verum profert. Ambo, *ὁ νόμος τοῦ νοός* et *ὁ νόμος ἐν τῇ καρδίᾳ*, unâ efficiunt *τὸν ἔσω ἄνθρωπον*, qui peccato renititur, sed frustra (cfr. §. 14). Est menti praeter illam legem in ea impressam facultas considerandi et ex operibus creationis *τὴν θειότητα τοῦ θεοῦ* perspiciendi (Rom. 1, 20). Sed quia totus hominis status commutatus est, infirma tantum testimonia de statu originali praebere, perniciem autem in dies latius serpentem defendere non potest. Quae quo celerius diffunderetur, intellectus amentia et consiliorum morumque pravitas se invicem promoverunt *) : *ἡ ἀλήθεια τοῦ θεοῦ* et *ἐν ἀδικίᾳ* (Rom. 1, 18), et *ἐν ψεύδει* (v. 25) *κατέχεται; οἱ λογισμοὶ τοῦ νοὸς* eodem modo *ματαῖοι* facti sunt atque *ἡ καρδία ἐσκοτίσθη* (v. 21); cupiditas carnalis ethnicos adduxit, ut Deos falsos fingerent (*διαλογισμούς* v. 21 intellige de doctrinis mythologorum et philosophorum, 23), et hic deorum cultus eos in dies pejores reddit (24), adeo ut *νοῦς* denique *ἀδόκιμος* factus

---

*) Quoniam utraque facultas simul a spiritu separata est, initium perniciei aeque in intelligendo atque in agendo positum est, itaque Paulus et cor mente et mentem corde depravari vel emendari docet.

ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα probet (v. 28), et cor eo delectetur (32) *). Facile perspici potest, Apostolum et personarum et temporum gradus discernere, ab ethnico conscientiam ethicam (*τὸν ἔσω ἄνθρωπον*) adhuc possidente, usque ad nequissimum quemque. Sed nihil proficit illa conscientia, ethnicorum enim *σοφία σαρκική* est (II Cor. 1, 22) **).

In isto igitur statu *νοῦς ἀδόκιμος* est (i. e., ex usu loquendi, reprobus, qui nomine suo se indignum praebet Rom. 1, 28), *ματαῖος* (cfr. gallicum *mat* et vernaculum *matt*), voluntatem Dei cognoscere et probare nequit (12, 2), ipsius *διάνοια* obscurata (Eph. 4, 18), Deo inimica (Col. 1, 21) est, et, ut hominum infidelium ratio fert, illo loco, jam per se notionem *pravi* sibi adjungit; *νοήματα* caecata (II Cor. 4, 4), obdurata (3, 14), nequam (11, 3), veritati divinae inimica sunt.

Quia autem vires mentis, quas dicunt, formales remanserunt, *σοφία* exstitit (nunquam Paulus de sapientia ethnica vocabulo *γνῶσις* vel etiam *ἐπίγνωσις* utitur, vide §. 19), sed Dei cognitionem non docuit (I Cor. 1, 21), et, quum *πνεύματος δύναμις* ipsi desit, tantum *σοφία λόγου* non *δυνάμεως* est (I Cor. 1, 17 cfr. 2, 5), artibus persuadere studet (2, 4; II Cor. 10, 3), in argutiis vanis, dubiis ambiguisve versatur (*διαλογίζεσθαι* cfr. Rom. 1, 21; I Cor.

---

*) Hic status ethnicorum periculosior fuit quam Judaeorum, quum lex divina *scripta* ab his commutari non potuerit cohibueritque summamque nequitiam.

**) Ceterum rationes Deum cognoscendi quae locis Rom. 1, 20 et 7, 22 referuntur, *non* — quod plerumque censetur — *primas* et *solas* fuisse, iterum moneo; nam ille rerum progressus, qui Rom. 1, 18 sqq. refertur, post lapsum Rom. 5 factus est, postquam commercium *spiritus per se* cum Deo atque conjunctio omnium facultatum spiritualium arctissima jam deleta fuit.

3, 20, Phil, 2, 14), plena πανουργίας est (I Cor. 3, 19), et, quia non e spiritu Dei recepta (12, 8), sed ab hominibus ficta est (2, 5. 13), σαρκική (Jac. 3, 15 : ψυχική), ideoque a Deo μωρία reddita est (I Cor. 1, 20 et saepe). A corde ejusque fructibus separata, sine amore (I Cor. 8, 2), jactatione inflata, itaque omnis virtutis expers est. Quum autem evangelium Christi inprimis cor simplex postulet, non multi, qui κατὰ σάρκα erant, vocati sunt (I Cor. 1, 26).

§. 19.

De statu mentis redemptione facto.

Mens sicut cor ita tantum restituitur, ut πνεύματι ipsi conjungatur Eph. 4, 23; totus νοῦς commutari debet (μετάνοια; Rom. 2, 4; II Cor. 7, 9. 10), ac renovari (ἀνακαίνωσις; Rom. 12, 2), i. e. in eundem statum *ethicum* reverti, quo initio versatus est (*ethicum* dico, non intellectualem, nam status mentis intellectualis tum non valde florebat).

In *fide a spiritu procreata cognitionis*, quae a Deo ad hominem proficiscitur, *principium* positum est, quod, si nullae res prohibent, necessario amplius excolitur. In corde incrementis experientiae augescit usque dum in mente consummetur et γνῶσις perfecta evadat. Quicunque igitur τὸ πνεῦμα ἅγιον habent, ideo θεοδίδακτοι sunt (I Thess. 4, 9).

Eodemque modo etiam quaelibet γνῶσις, quum tota vita religiosa Christianorum διὰ πίστεως non διὰ εἴδους fiat (II Cor. 5, 7), *e fide progredi* debet, sin aliter, cognitio simulata et a virtute ethica remota est (I Cor. 8, 1. 2), aut ἃ μὴ ἑώρακεν *) perspicere vult (Col. 2, 18).

*) Lectio ἃ ἑώρακεν, quam Lachmannus, Meyerus, alii, tenent, e dictione V. T. τὰ ὁράματα τῶν ἀγγέλων petita videtur.

Qui fide imbutus est, is nunquam cognitione prorsus caret *), quamquam hoc quidem fieri potest, ut fides suis divitiis fruens in semet ipsa acquiescat, vel etiam pigritia quadam prohibita ad *γνῶσιν* non progrediatur. Qui vero justus est cognitionis progressus, eum Paulus et in vita sua monstrat et in scriptis eloquitur. In orationibus quae in Actis exstant ad homines nondum fideles, nec minus in epistolis ad Thess. et Gal. datis *γνῶσιν* nondum postulat, maxime ei, praecipue *τῇ ἐπιγνώσει*, instant epistolae ad Eph. et Col. (similiter eae ad Tim. et Tit.), quod theologi Baurum secuti (cf. inter alios Schweglerum, nachapostolisches Zeitalter II, 327 seq.) signum esse originis non Paulinae falso contendunt. Nonne Paulum oportebat et ipsum provehi et ecclesias amplius excolere, et ubi *πίστις, ἀγάπη* et *ἐλπίς* quasi principium exstabant (Col. 1, 4. 5. 23 cet.) *γνῶσιν* postulare atque excolere? Hoc necessarium esse, jam in epistolis ad Corinthios distinctione *τελείων* et *νηπίων* indicat. In ecclesia Thessalonicensium recens condita *ὑστερήματα τῆς πίστεως* vituperat (I Thess. 3, 10); in Corinthiis jam diutius fidelibus *γνῶσιν* emendare et conformare vult (*τῇ γὰρ πίστει ἑστήκατε* II Cor. 1, 24).

---

*) Ita, quamquam Corinthiis veluti *σαρκίνοις γάλα* tantum sese dedisse profitetur (I Cor. 3, 2), quoniam *τοῖς τελείοις* solis *σοφίαν* pronuntiet (2, 6), tamen praeter alia charismata etiam *γνῶσιν* iis tribuit (1, 5; II Cor. 8, 7). Similiter locum I Cor. 8, 1 cfr. 7 interpretor. Verba v. 1 *Οἴδαμεν ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν* de illa cognitione quae principaliter in fide posita, sed nondum exculta est, hoc sensu agunt: quia omnes fidem habemus, necesse est, ut etiam sciamus; sed non in omnibus *γνῶσις* reperitur v. 7, non enim in omnibus, secundum experientiam, fides ad cognitionem provehitur. Praeterea in illis versibus etiam discrimen verae et falsae cognitionis exstat; vera, e fide spiritus progressa et cum amore cordis conjuncta, cognitione infirmos sed fide jam praeditos tolerat, *ἀγάπη οἰκοδομεῖ*; sed falsa cognitio, non e justo principio progressa, infirmis *πρόσκομμα* fit (v. 1 cfr. 9).

Argumenta γνώσεως christianae omnia sunt, quae fide dantur : τὰ ὑπὸ τοῦ θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν (I Cor. 2, 12); τί τὸ πλάτος καὶ μῆκος καὶ ὕψος καὶ βάθος (Eph. 3, 18), τὸ μυστήριον τοῦ θεοῦ (Col. 2, 2; Col. 1, 18. 19). *Consilium* cognitionis est, ut perveniamus εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ (Eph. 4, 13); nam etiam in cognoscendo Christus perfectionis norma est. Omnibus rebus quasi *subsidiis* Christianus uti debet, etiam mundo (πάντα ὑμῶν ἐστίν I Cor. 3, 21 seq.), quae tamen licentia eo quod postulatur πάντα δοκιμάζετε (I Thess. 5, 21) coercetur; nihil enim est, quod nihil valeat in systemate doctrinae christianae (μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ, Gal. 5, 9); praeterea γνῶσις tam arcte cum vita ethica conjuncta est, ut illius perturbatio etiam in hanc aliquam vim exerceat.

In cognitione fingenda et *propriae* cujusque hominis et *universae* veritatis naturae ratio habenda est. Hoc postulatur I Cor. 1, 10 κατηρτισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ (cf. 13, 11 τὸ αὐτὸ φρονοῦντες), illud Rom. 14, 5 : ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ πληροφορείσθω. Perfecta enim et πίστεως et γνώσεως conjunctio post saecula demum totius eccletiae opera efficietur (Eph. 4, 13), num aliquando in *terra*, e contextu verborum non apparet. Usque ad istud tempus cultum cognitionis sicut vitae in universum subsistere, et Christiano sapientiae satis habere non licet, I Cor. 4, 8 (Paulus ipse nondum τετελειωμένος est, Phil. 3, 12). Hoc enim tempore facultates spirituales saepe inter se discrepant : πίστιν et ἀγάπην saepe γνῶσις fugit, homo ζῆλον quidem θεοῦ sed sine ἐπιγνώσει habet (Rom. 10, 2), γνῶσις saepe principio proprio caret (Col. 2, 18 cfr. 8. Eph. 4, 14 cet.), et semper ἐκ μέρους tantum γνῶσις est (I Cor. 13, 9. 12). In consummatione igitur, sicut omnia quae ἐκ μέρους fiunt, de-

sinet, et evadet *ἐπίγνωσις* *) perfecta (13, 12; cfr. Eph. 4, 13). Explicatur haec *ἐπίγνωσις* I Cor. 13, 12 addidamento *καθὼς καὶ ἐπιγνώσθην* sc. *ὑπὸ τοῦ θεοῦ* (cfr. I Cor. 8, 3; Gal. 4, 9). Quae Dei cognitio semper efficax et cum ceteris efficiendi rationibus, quae in spiritu sunt, arctissime conjuncta cogitanda est, ita ut in ipsa etiam amor providens, illuminatio cett. contineantur (cfr. inprimis Hoffm. I, pag. 225 seqq.). Hominis igitur *ἐπίγνωσις* perfecta talis erit, ut discrepantia cum ceteris spiritus facultatibus desinat, vel, ut notionibus psychologicis utamur: *πνεῦμα* tunc *prorsus* dominus organorum suorum erit, *omnes tunc actiones in spiritu ipso efficientur, et inter se conjunctae erunt.*

Ad extremum paucis vocibus etiam de discrimine *σοφίας* et *γνώσεως* agamus! Haec non est apud Paulum nisi cognitio *christiana*, neque usquam de cognitione falsa usurpatur, quidquid enim ad haereses pertinet, id omne Paulus refert ad *σοφίαν* **). Quae autem *γνῶσις* I Cor. 8, 1 exstat falsa vocatur, non quo mendaciis vel erroribus vel vanis commentis scateat, sed quia sejuncta est ab amore. Quum autem *σοφία* non modo *ethnica* sit sed etiam *christiana* esse possit, conjicere licet, *γνώσεως proprietatem in argumentis, σοφίας in forma positam esse.* Itaque futiles et commenticiae sunt omnes hae distinctiones: 1) *Neanderi, Billrothi, Olshauseni*, qui explicant, *σοφίαν* ad agendum, *γνῶσιν* ad intelligendum pertinere; 2) *Bengelii, Storrii, aliorum*, qui rem prorsus contra se habere statuunt; 3) *Bauri* (Paulus, pag. 559), qui putat *γνῶσιν* esse scripturae sacrae

---

*) Recte Meyerus in voce *ἐπιγνώσεως* praepositionem ad notionem augendam et cumulandam valere statuit, *ἐπίγνωσις* est ea *γνῶσις* quae res accuratissime et subtilissime perscrutatur.

**) Vide igitur quomodo usus loquendi Paulinus discrepet ab eo quem reperimus I Tim. 6, 20: *ψευδώνυμος γνῶσις*.

explicationem allegoricam; 4) *Ewaldi* (Paulinische Sendschreiben, pag. 193), qui interpretatur *λόγον σοφίας* esse „die verständige Erklärung anerkannter Wahrheiten“ (at cfr. I Cor. 2, 7. 10!), *λόγον γνώσεως* „die Behandlung noch dunkler Stellen“; 5) *Meyeri*, qui censet *σοφίαν* esse „die höhere christliche Wahrheit an und für sich“, *γνῶσιν* „die philosophische Verarbeitung derselben“, qua de re post consummationem *γνῶσις* quidem sed non *σοφία* desitura sit; sed si res ita se haberet, non philosophia ethnica *σοφία* vocari posset; et cur *γνῶσις* desitura sit, jam explicavimus). Verum jam Patres (Chrys. Theodoret., alii) quodammodo viderunt (cfr. ad I Cor. 12, 8) : *γνῶσιν* scilicet *cognitionem christianam per se*, ethnicae oppositam, sine forma accurata et explicata esse, *σοφίαν* autem hac forma instructam, cujus etiam sapientia ethnica particeps sit. In hoc tantum errant, quod *σοφίαν* strictius ad indolem facultatemque docendi referunt. Nimirum discrimen non semper observatur, praesertim cum de *Dei σοφίᾳ* agitur (Rom. 11, 33 cet.), tale autem fuisse primitivum, e diversa illa loquendi ratione de christianis et ethnicis adhibita, satis planum fit.